VITT. EMA

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
17 K
11

~~XXIX. C. 33~~

Mihi B. H. Corvini Novocastr.
dono Radley ab authore

27. A.

Digitized by Google

Digitized by Google

PERSII TREVI

AD LIBRVM DE SERO LACTIS STEPHANI RODERICI Caſtrenſis Luſitani


DECLAMATIONES,

Seu

Priuatæ quædam, ac Domeſticæ

EXERCITATIONES

Editio Secunda,
Quam Auctor ſuam Agnoſcit,
Auxit, Emendauit.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,
Ex Typographia Franciſci Corbelletti.
MDCXXXIV.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

QVÆ priuatim, vt olim Aphricanus & Lelius, domi luſeram, ea Typographus Pariſinus, medicorum hortatu, quaſi alter P. Terentius in publicum & ſcænam detulit. Doluerim ne, an potius lætatus fuerim, haud ſatis ſcio, ac, ſi ſciam, vix auſim dicere. Sanè reculas meas non modò magnis probisq. probari viris, ſed publici etiam iuris fieri, aliquo animi ſenſu non gaudere, non potui. Cum verò clari nominis hominem, æuoq; noſtro celeberrimum, ac magnæ apud omnes exi- Donatus in Vita Terentij.

ſtimationis medicum a me publicè (quod nolebam) repræhendi hoc libello , mecum ipſe reputarem , facere non potui , quin dolerem. Accedit, quòd cum hæc declamandi penè ſtudio , hoc eſt , exercitationis vmbratilis , ac priuatæ cauſſa curſim & incuriosè ſcripſerim, rudia in his aliqua & impolita ſunt, arida nonnulla exſuccaq; nonnulla ſuperuacanea & profuſa, nimis libera ſolutaq; alia: non quæ modeſtiæ fines tranſierint, ſed quæ moroſiores ac difficiliores homines non nulla fortaſſis offenſiuncula poſſint afficere . Itaque eò incumbendum mihi putaui, vt, propriæ alienæq; exiſtimationi conſulens, omnia recenſerem , & in meliorem formam ſpeciemq; redigerem : non quidem vt concinna

ma-

Digitized by Google

magis politaq; ſed (ſi fieri poteſt) vt munita potius ſolidiori doctrina, veluti priſci Macedones *Non auro, neq; diſcolori veſte, ſed ferro atque aere fulgentes*, prodirent in lucem. A te verò, Lector, etiam atque etiam peto, vt, hæc mea percurrens, ante oculos animumq; tuum proponas illius Perſarum legis exemplum, qua cautum erat, ne quis, alicuius reus criminis culpæq; affinis deprehenſus, damnaretur prius, quàm in omnẽ eius vitam ſedulò inquiſitum eſſet. tunc enim ſi rerum turpium numerus vinceret, condemnabatur: ſin autem honeſtis & præclarè factis ipſa flagitia ſuperarentur, omnium ſuffragijs abſoluebatur. Putabant enim humanarum virium non eſſe, rectum curſum perpetuò & con- Q. Curtius lib. 4.

Digitized by Google

tinenter in vita tenere: eoſq; pro bonis habendos, non qui nunquam peccauerint, ſed qui ſæpius præclarè honeſtèq; egerint. Hanc, inquam, legem a te, Lector, probari obſeruariq; ſummopere cupio: vt ne ſtatim mea hæc reijcias & condemnes, ſi quid in his a me peccatum deprehenderis. Perſarum more, vellem, rationem inires: tunc equidem, quin reijcias ac ſpernas, non recuſo.

Vale.

TRIVM-

Digitized by Google

TRIVMVIRIS

Medicæ Reipublicæ Conſtituendæ Hippocrati, Celſo, Auicennæ.

PERSIVS TREVVS.

ABSENTIBVS Vobis, Viri Aſclepiadei, ſenatus frequens in æde Apollinis habitus eſt IV. *Cal. Septemb. Complura ex conſuetudine relata fuerunt ad amplitudinem ſplendoremq; Reipub. noſtræ pertinentia . Inter cetera verò, quæ maximi intereſſe videbātur, relatum eſt a Stephano Roderico Caſtrenſe Luſitano* De Sero Lactis, *deq; eius vi et facultate . Senatorum pleriq; vel tanti viri auctoritate permoti, vel (quod de Romanorum nonnullis, Mediolanenſibus, ac Neapolitanis* Rodericus Romanos medicos Neapolinos, ac Mediolanēſes per litteras rogauit, viſeri-

 mihi

pro àrgumẽtíſq; ſibi præſto eſſent, ſuûq; de Sero libellũ fulcirent.

mihi renunciatum eſt) ab eo palam ambiti & rogati in eius ſentẽtiam diſcedebant. Quinimò cum non ſenatores modò, verùm ij etiam, quibus in ſenatu ſententiam dicere licet, eodèm omnes pedibus irent, iam iamq; ſenatus conſultum inſtaret, ſcribendo affuturis Romanis, Mediolanenſibus, ac Neapolitanis; P. Philalethus Tribunus Pl. iuris cuſtos ac defenſor interceſsit, vt ne quid detrimenti noſtra inde reſpub. caperet. Itaq; ex S.C. mandatum eſt mihi Perſio Treuo, de re vt cognoſcerem cum Roderico, cognitaq; referrem ad Vos: vt inde, Viri Sapientes, videatis, quid e re ſit noſtræ reipub. interpoſitoq. decreto de tota controuerſia conſtituatis. Dij Vos nobis ſeruent incolumes & noſtræ reipub. Idibus Septemb. M. Gilopho iterum Cos. ſine Collega.

PER-

PERSII TREVI
AD LIBRVM DE SERO LACTIS STEPHANI RODERICI
Caſtrenſis Luſitani
DECLAMATIONES,
Seu priuatæ quædam ac domeſticæ
EXERCITATIONES.

SERI FRIGIDITAS:
Num ex aciditate hæc argui poſſit?
An ſerum ſicut lac frigidum?

CAPVT I.

QVAE de Sero, Vir Clariſſime, non quæ de Lacte, a te ſcripta ſunt, hic perpendere conſilium eſt. Itaque poſthabito primo libelli tui capite, in quo circa lactis

Digitized by Google

ctis naturam parteſq; verſatis, ad ſecundum ſtatim accedo. idq; eò libentiùs, quod hic tu controuerſias diſceptare incipias, quòdq; & mihi eodèm quæſtiones multò difficiliores fiunt obuiam. In ipſo eius capitis veſtibulo tecum mihi lis eſt & controuerſia. Hæc ſunt tua verba. *Quod de lacte diximus ſero poteſt adaptari, videlicet ex facilitate aceſcendi, ſi reponatur frigidum colligi. Aceſcet ſerum ſicut lac, ergo ſicut lac frigidum cenſendum eſt.* Tuum hic conſilium eſt, ſeri qualitates expiſcari, & ex *facilitate* aceſcendi frigidum eſſe probare. Ego verò ſicuti de ſeri qualitate ferè tecum ſenſio, ita a te omnino diſſentio de modo eius qualitatis inueniendæ. Nam præterquam quod etiam calida, vt vinum, *facilè* aceſcunt, ex aceſcendi promptitudine aceſcentis rei frigiditas rectè intelligi non poteſt. Firma ſanè mihi ratio: Si ex facilitate ad aciditatẽ contrahendam rem aceſcentem frigidam eſſe ſtatuere liceret; profectò quò res ad aceſcendum facilior, eò frigidior declaranda. Ergo ſerum frigidius multò

Digitized by Google

multò papaueris ſucco, cicuta, mandragora, hyoſcyano. Aperta res eſt, cum conſtet ex Galeno, ſerum his omnibus longè faciliùs & acere & aceſcere: liquidò conſtet ex 4. Simpl. 15. vbi habet, ex frigidis omnibus ea minimè omnium aciditati eſſe accomodata. *Quæ ſummè nos refrigerant, vt cicuta, papaueris ſuccus, hyoſcyamus, mandragora minimè omnium acida ſunt.* Etenim cum propter ſummum frigus non aceant, propter eamdem rationem difficilè poſſunt aceſcere. quod enim vel acet, vel aceſcit, adeò frigidum eſſe non poteſt, vt illatam a calore vim longè propulſet, ipſumq; vincat calorem. ac proinde hic neque alterare, neque immutare poſſit. Aciditas enim in frigidis ſoboles eſt caloris frigoriſq; mediocris. nam gaudet & ſubiecto mediocriter frigido, & agente mediocriter calido: vt patet illud quidem ex papaueris, ac priſſanæ ſucco; hoc verò ex acidis ructibus, qui *Cum nulla planè facta eſt ciborum alteratio prouenire non ſolent, ſicuti neque vbi optimè cocti, ſed tantùm vbi ſemicocti* Gal. 2. Alim. Facul. 15.

fue-

fuerint. Itaque vt eiuſdem Galeni verbis vtar, *aciditas naſci potiſsimum videtur dum a calido quidem mutatur, vt non tamen ſuperet. Ex quibus omnibus patet, quod a calore mutante quidem, non tamen prorſus vincente aciditatis generetur qualitas*. Iam verò, papaueris ſuccus nec acet, nec aceſcit facilè, quia eius frigus maximum eſt, aptumq; proinde ad caloriſactionem propulſandam. Lac verò, ſerumq; cum tanta reſiſtendi vi prædita non ſint, a mediocri alterantur calore, proptereaq; aceſcunt. Ergo, (quod principiò dicebamus.) Ex facilitate ad aciditatem contrahendam, aceſcentis rei frigiditas intelligi non poteſt. nam alioqui (repeto) quò res aciditati aptior, eò frigidior eſſet. Serum igitur cum aptius ſit papaueris ſucco ad aciditatem contrahendam, papaueris ſucco frigidius eſſet. Neque verò de huiuſmodi ſucco, non ſecus ac de lapide aut ligno, quo ad aciditatem pertinet, ratiocinandum. nam eiuſmodi ſubſtantia præditus eſt, vt, niſi ſummè frigidus eſſet, facilè poſſet acere, vel acreſcere.

Illud

Digitized by Google

Illud tamen vltro concedo, quoduis acidum frigidum eſſe: ſicuti planè nego, quoduis ad aciditatem contrahendam aptum eſſe frigidum: licet frigidum fieri poſſe, non negauerim, vt de vino ſuperiùs affirmaui. Serum igitur, antequam aceſcat, eſſe frigidum, ex eo probari non poteſt, quòd facilè poſſit aceſcere, aptũue ſit ad aciditatem contrahendam. Quòd ſi acidum iam factum ſerum, frigidium eſſe aſſerere volueris, vt lubens vltroq; tibi aſſentiar, ita ratiocinationem tuam tanquam inanem inutilemq; reijciam,

Neque alteram, quam ex Marardo adiungis, ſeri frigiditatis perueſtigandæ rationem probare poſſum: *Cum ex tribus ſubſtantijs, quæ lactis ſubſtantiam complent caſeus parum ad frigus vergit, butyrum eſt temperatum, ſi ſeram calidum foret, vniuerſum lac calidum diceret.* Non, inquam, hæc probare poſſum, tum quia qui ſerum calidum eſſe contendunt, vel non laborant de lactis calore, vel calidum propterea id eſſe concedunt; tùm quia cum caſeus frigidus ſit,

tem-

temperatum butyrum, ſerum verò ſi paululùm ad calorem vergere, aut ſaltem non frigidum, ſed temperatum eſſe patereris, non propterea calidum lac, ſed ferè temperatum conſtrueres: cum caſei frigore ſeri qualitatem non frigidam cōpenſares. Neque enim magis de maximè ſeroſo lacte, quàm de maximè caſeoſo loquendum eſt.

Neque tertium tuum argumentum ex eodem Manardo depromptum ſtare poteſt: *Si ſerum calidum eſſet, quò ſeroſius lac eſſet, eò eſſet calidius, cum tamèn aſininum, quod maximè ſeorſum eſt multum ſit frigidum*: quia exploratum eſt, liquidoq. conſtat apud Galenum camelinum multò ſeroſius eſſe caprino, canino, ouillo, ceteriſq; huiuſmodi, multòq; calidius. Liquidiſſimum & maximè ſerorū eſſe camelorū lac, ſcriptū eſt 3. de Alim. Fac. 15. & lib. de Bonit. & Vit. ſuccorū cap. 4. *In camelorū atque aſinorum lacte ſeroſæ humiditatis plurimùm*. Calorē verò atteſtatur tū animalis temperamentū, tū ipſius lac, in quo ſalſedinē Auicennæ guſtatus percepit.

Itaque

Itaque faciliùs, mea quidem ſententia, atque adeò certiùs hac ratione ſeri frigiditatem explorare poſſemus: ſerum ex frigido humidoq; elicitur humore, ex frigidis humidisq; alimentis: vt vel ex eo patet, quòd in Hiſpania, vbi areſcens calidaq; tellus exſucca, calida, ſiccaq; gignit pabula, parùm ſeri emungitur ex animalibus, vt auctor eſt Cardanus de Subtil. Vel ab effectu (quod Galeno in omni medicamenti qualitate exploranda maximè probatur) hac ratione, Serum calidis medetur morbis, non ex accidente ſolùm euacuando, ſed per ſe etiam temperando acres calidosq; humores, caloremq; viſcerum frangendo: vt patet, ſi non affatim tantùm antiquorum more, ſed modicè etiam, vt apud nos in more poſitum eſt, exhibeatur in ſcabie, in pruritu, in ceteris ex humore calido bilioſoq; oriundis morbis.

Tu verò aciditati nimiùm tribuere videris: ea ſeri frigus indagans, caſeum ſero ineſſe ſuperiùs depræhendens; lactis ſeriq; communem qualitatem prætereà explorans. nam vel ſi aptior ea eſſet Cap. I.

Digitized by Google

Gladio delphico, vix tam varia præſtare poſſet. Sed præſtat te iterum loquentem audire: *Aceſcit*, inquis, *ſerum ſicut lac, ergo ſicut lac frigidum cenſendum eſt*. Serum ſicut lac frigidum? Mihi certè id perſuaderi non poteſt. lac enim non ſolùm acriuſculas illas calidaſq; ſeri qualitates, a Galeno probatas, obtinet; ſed butyri etiam calore, a frigore caſei minimè ex te tempenſando, præditum eſt. Ergo plures lacti, quàm ſero calori partes; plures ſero, quàm lacti partes frigoris. Ergo ſerum non *Sicut lac frigidum cenſendum eſt*.

Neque nutes de butyro: nam hoc non ſolùm non temperatum, ſed calidius eſſe hìc fatearis neceſſe eſt, niſi, quod nunquam crediderim, palinodiam canas. ſcriptum enim a te eſt, calorem ex butyro in ſerum deriuari purgationis cauſa. & cap. 8. Libauii doctrinã afferès, atque, vt videris, probans, igneas in eo ineſſe partes ſcriptum reliquiſti. Cap. 3.

At verò audio, qui obijciant, mèq; increpent tanquam ſeuerè nimis, ac planè ſtoicè tua verba accipientem. *Serum*

ſicut

Digitized by Google

ſicut lac frigidum, non ita intelligendum eſt, vt eodem, quo lac, frigoris gradu præditum ſit: ſed ſicuti ex aciditate intelligimus, lac frigidum, ita ex eadem, ſerum etiam eſſe frigidum, intelligi. Sed hoc non ſonant Roderici verba. Itaque, ſi, vt *Aethiopem ex vultu iudicare* licet, ita eius verba ex aperto ſono, certè longè aliud, atque nos fingimus, ea ſibi volunt. Sed ipſa perpendamus verba: *Serum ſicut lac frigidum*. Particula, *Sicut*, ſimilitudinem ſignificat inter lac ſerumq;. Ergo vel in ſpecie (frigore) vel in gradu hæc eſſe debet. In hoc eſſe nequit, vt meis victus argumentis ipſe nuper faſſus es. Neque in frigore tantùm: quia ſi ſerum dices eſſe frigidum ſicut lac, habita ſolùm ſpeciei ratione, gradu neglecto, ego ſic impune loquar, Serum frigidum eſt ſicut lactuca, ſicut endiuia, ſicut papauer, hyoſcyamus, opium cetera huiuſmodi. Abſurdiſſima hæc loquendi ratio abſurda non eſſet, ſi particula, *ſicut*, non gradum deſignaret, ſed ſpeciem. Abſurdiſſima, inquam, eſt, tum quia nullus vn

quam ita loquutus eſt, tum quia ſi quis loqueretur, a nemine intelligeretur. Neque tergiuerſandum eſt: hoc attendendum, *Sicut* ſimilitudinem ſignificat vel in ſpecie, vel in gradu; non aliam, quia nulla præterea eſt, ne apud Zenonem quidem, qui pro arbitrio rebus nomina, nominibus ſignificationem imponebat.

Quænam Seri Partes Calidiores aut Frigidiores ſint? Tenuiores ne An Craſsiores? Galeni Locus Expenſus

CAPVT II.

De craſſioribus ſeri partibus, deq; tenuioribus litē infers aduerſario tuo, cenſenti, eas quidem calidiores eſſe, has verò frigidiores. Tu verò ſentiens longè ſecus, argumentaq; ex Galeno mutuatus iuras, fieri non poſſe, vt, quod frigidum eſt, tenue vllo modo ſit. Ceterùm Galenum primò audeamus lo- 10. Meth. 11.

quen-

quentem. *Ac quæ quidem Abſolutiſsimè tenuium partium ſit ſubſtantiam Exactè frigidam inueniſſe Fortaſſe non eſt.* Hìc tria notes velim, *Abſolutiſsimè, Exactè, fortaſſe*. nam ex hoc Galeni loco quæ *Abſolutiſsimè* tenuium ſunt partium, *Exactè* frigida *Fortaſſe* non reperies. Ergo ea, qnæ prorſus frigida ſunt, quæ maximo frigoris gradu ſupremoq; prædicta ſunt, tenuium eſſe partium, dubitat Galenus. Serum autem huius non eſſe ordinis, tu ipſe fateris, qui vocas in dubium, calidum ne, an frigidum ſit, cui acres ex Galeno ei qualitatəs attribuis.

Ceterùm tenuium partium non pauca frigida eſſe (nam non de tenui tantùm ſeri parte, ſed de quauis alia id tu negas) intelligemus, ſi ſecundam aëris regionem pluuiæ, niuis, grandinis officinam attendamus: ſi, non quidem Ciceronis, qui *ignifer & ardor vltimis* appellatur, ſed Cardani ætherem, quem frigidiſſimum tenuiſſimumq; ſtatuit. Vitrioli ſpiritum, oleo tenuiorem frigidioremq; aut mauis dicere, minùs cali- Cap. 2. & 8. 1. de Nat. Deorum In Arat. Card. de Sub.

Digitized by Google

dum. Roſarum aquam frigidiorem ac tenuiorem ſucco. Simplex ſtillatumq; acetum vino longè frigidius, longè tenuius. Aquam (quod ex Cardani ſententia dictum volo) oleo vinoq; tenuiorem æquè ferè ac frigidiorem. Boream ſeu aquilonem frigidiſſimum, tenuiſſimumq;. Quod ſanè apertiùs intelligemus, *ſi memorià repetamus ambiẽtis nos aëris puritatem, ac partium tenuitatem in vehementi frigore, ipſamq; cum ferro ignito comparemus. manifeſto enim ex illiuſmodi exemplis cognoſcemus, frigidum quid eſſe, quod ſit exactè tenuium partium: & calidum, quod ſit craſſarum.* Sunt Galeni verba cap. 22. lib. 1. Simpl. Vbi prætereà animaduertas, velim, Exactè tenue idem ſignificare, ac Tenuiſſimum: nam *Exactè cum tale aut tale quid dicimus, ſyncerum & quantùm fieri poteſt alterius qualitatis expers dicimus.* Sed quæ de aceto ſcripta ſunt a Galeno, aptiùs quadrant tenuibus, craſſiſq; ſeri partibus, litemq; planè dirimunt. Ne itaque pigeat audire. Tenues, ait, craſſaſq; partes aceto ineſſe:

eſſe: & has vini fæcibus, oleiue amurcis; illas purioribus eorum partibus reſpondere. Craſſiores calidas eſſe, puriores tenueſq; frigidas, autumat: *In aceto*, inquit, *eſt huiuſmodi quippiam* (vt fex in vino, in eleo amurca) *& fortaſſe ipſum eſt, quod caloris eſt particeps: quod verè frigoris id, quod tenue eſt.* Immo verò (vt hoc etiam παρέργως addam) quemadmodum valde frigida valde tenuia; ita ferè maximè calida maximè craſſa duraq; eſſe poſſunt. Liquidò id cōſtat ex ignito ferro pruniſq;. 1. Simpl. 22. Nam, vt eſt apud Galenum, *non omnis ignis eſt tenuium partium. nam & pruna ignis quidem eſt, ſed non tenuium partium.*

Dictum eſt de tenuioribus, de craſſioribus modò nonnulla adijciamus. Has tu putas frigidiores eſſe (loquimur de ſeri partibus) ego verò calidiores. quod vt oſtendam, in chymicorum officinam ſecedendum, ibiq; tantiſper verſandum, dum per alembicum craſſiores ſeri partes a tenuibus ſeparentur. Et quidem illas amariuſculas eſſe, ſiuè potius ſalſas

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUEL
Digitized by Google

ac nitroſas, lingua palatumq; teſtis eſt. nam quæ vaſis fundo hærent, eis, quæ ſurſum reſpunt, vt craſſiores ſunt, ita magis ſalſæ magiſq; nitroſæ, ac proinde calidiores. Neque enim audiendus eſt Baro de Verulamio, nitrum frigidum eſſe exiſtimans: præſertim cum non ſatis firma id ratione probet, *Nitrum*, inquit, *eſt tanquam aroma frigidum. idq; indicat ſenſus ipſe. mordet enim & tentat linguam frigore*. Quis enim eſt, qui non videat, ac norit, ex calidis non pauca linguæ admota frigoris ſenſum inducere? Et magna illa mordicatio vnde, niſi ex calore? Atque (vt ipſe fatetur) ſi ſpiritibus abundat, quomodo frigidũ? Itaque & nitrum & nitroſæ ſeri partes chymicè ſeparatæ calidæ erunt

Dices, nitrum, non vt piper, linguæ appoſitum frigoris ſenſum inducere. nam diutius detentum non calefacit. An igitur ex etherogeneis conflatũ eſt partibus, ſatis calidis frigidiſq;? & illis quidem mordere, alioſq; caloris proprios effectus gignere; his verò frigoris ſenſum inducere? Sanè de opio idem

ſcrip-

ſcriptum eſt a viris & in medicina facultate, & in philoſophia præſtantiſſimis: & de aceto vbique a Galeno, ex etherogeneis nẽpe id conſtare partibus, & alijs quidem calorem promere, alijs verò frigoris ſenſum inuehere. Gal. 4. Simpl. 22.

Neque ſpagyricam artem tanquam mendacem ac futilem damnes: quia non per imaginationem ſecretis de ſeri partibus, ſed per veram ſeparationem ſeiunctis ratiocinandum. Vnuſquiſque enim ſibi fingere poteſt, partes intellectu diſcretas, craſſiores quidem frigidas eſſe comminiſci, tenuiores verò calidiores. Sed hæc vana eſt ac futilis philoſophandi ratio. nam *inſiſtendum eſt ijs, quæ fiunt* (experientiæ) *ſi quis optimum habitum ſibi comparare velit*. Hipp. lib. Præcep. t. 2. Videmus ſeri partes verè non fictè ſeparatas, tenuiores, craſſiores. Has ſenſu ipſo (guſtatu) percipimus, eſſe ſalſas. optimo ergo iure calidas eſſe affirmamus. Illas nulla ſalſedine præditas, nulloq; alio, quod caloris ſuſpicionem faciat; ſed ſolùm humorem quemdam aquoſum nullo ferè ſapore præditum,

Digitized by Google

ſenſu, experimentoq; intelligimus. ergo iurè affirmamus, eſſe frigidum.

Neque ſtare poteſt, quod capite 7. ſcribis de craſsioribus hiſce ſeri partibus in fundo vaſis ſubſidentibus, nempe caſeum eſſe ignis vi excoctum, nullo modo nitrum: quia nulla præſto eſt ratio, quæ id ſuadeat, nullaq; a te affertur. Proba, & annuam. Ego verò haud difficulter tibi probabo, nitroſas, non caſeoſas eas eſſe. Nitroſas in ſero ineſſe partes, auctor eſt Meſues & Auicenna hac in re fide dignisſimi. Has chymica induſtria ſecerni poſſe, notius eſt, quàm vt a me probandum ſit. Quod igitur in fundo vaſis ſubſidet, cum craſſum ſit, ſubſalſum ac nitroſum, eas eſſe ſeri partes, quę a Meſue dicuntur nitroſæ, ab Auicenna ſalſuginoſæ omnino veriſimile eſt: imò veriſimilius multò, quàm denuo eſſe genitas caloris vi. Sed hæc innuerim potius, quàm probauerim hoc in loco: opportuniùs enim deditaq; opera cap. 6. vbi agis *De Nitroſitate Seri*. non enim hìc, vbi oportunus non eſt locus, ineptè referre volo Romanum illũ

robuſto

robuſto armatoq; corpore ad palum, fi-ctum hoſtem & inermem, ſeſe exercentem. vix enim effugere poſſem alicuius Demonactis irriſionem.

Coſtæus Aduerſus Rodericum Defenſus Perpenſus Galeni Locus.

CAPVT III.

COSTAEVM video a te, Roderice, inſcitiæ reum factum, liberèq; repræhenſum. Sanè haud moleſſè fero. nam *ad repræhendendum procliuiores, quàm ad laudandum omnes ferè ſumus*, Illud tamen a te peto, vt, ſi qua tu Coſtæum accuſas; eadem ego libertate eum defenderim: ſi vt tu illum, ſic ego te amicè monuerim, æqui id boniq; conſulas. Neque enim abhorrere debemus ab inſtituto ac more Lacedemonum, qui *In magno habebant probro obiurgationem moleſtè ferentes*. Sed quæ a Coſtæo, quæque a te ſcripta ſunt, perpendamus. Ille Galenum & Meſ- Man. ad Epiſt. ad Q. Fratrē. Plutar.

nem,

uem, de Seri qualitatibus diſcrepantes, componere ſtudens, ait, ſerum calidum dici poſſe, ſi ad purgandi facultatem referatur: frigidum, ſi ad ſemetipſum ad humorem ſuum. Reprehendis hæc reprehenſione ex Galeno accerſita 1. Simpl. 3. vbi ſcriptum eſt, medicamenta reſpectu naturæ corporiſq; noſtri ſtatuenda eſſe calida frigidaue. Nam cicuta, cum humano corpore comparata, frigida exiſtimanda, ac ſummè frigida: comparata verò cum ſturno non ita: cum nos præ nimio frigore interimat, ſturnos verò nutriat, ferè tempenata eorum naturæ exiſtens. Verum quidem, videtur hoc, Roderice, veraq; Galeni mens. Sed patere, niſi graue eſt, vt *Aurem tibi peruellam*, ipſumq; producam loquentem Galenum: *Imprimis & maximè ſumendum eſt iudicandæ facultatis experimentum ab ea re, ad quā dicitur. Siquidem non protinus ſi hominem refrigeret cicuta & ſturnum refrigerabit*. Imprimis & Maximè, inquit Galenus, ſumendum eſſe experimentum ab ea re, ad quam dicitur. Ergo non

Seneca lib. 4. de Benefic.

ab

ab ea ſolùm, non omnino ab ea. Etenim etſi cicuta longè minùs ſturnum hominem longè magis refrigeret, ex ſe tamen, ſuapte natura frigida eſt. Quarè puto, *a re, ad quam dicitur*, non omnino ſumi qualitatẽ medicamenti, ſed potius definiri gradus. Vnde cicuta ſummè frigida erit homini; ſturno temperata aut non admodum frigida, cum hunc nutriat, illum interimat. Itaque non euertis Coſtæi conciliationem iſtac e Galeno deprompta auctoritate, imò nolens eam fulcis multò firmiùs. Iam verò *ab ea re, ad quam medicamentum dicitur*, non qualitatem, ſed qualitatis gradum explorari, quia duriuſculum alicui, & Galeno alijſq: repugnare videri poteſt, non ab re eſſe puto, id fuſiùs probare, & ex medicamentorum qualitates inueſtigandi ratione pateſacere.

Innoteſcunt autem medicamentorum qualitates non ex effectu ſolùm (quia hominem v. g. refrigerent) ſed etiam a cauſa, &, vt vulgus loquitur, a priori. Etenim *calidumne quippiam, an frigidũ ſit; tenuis, an craſſæ materiæ ſaporè ac* Fernelius.

lin-

lingua internoſcitur, vt magna ex parte liquet ex Galeno vbiq; in Simpl. Med. libris, ac præſertim de calamintha loquēte, *Eſſentia*, inquit, *eſt tenui, temperie calida ſiccaq; quorum manifeſta ſunt indicia partim guſtu apparentia, partim exprimento cognita. Guſtu acris eſt, ſubamara, & calida. Extrinſecus verò impoſita excalefacit, mordicat, cutem exugit, ac tandem, vlcus inducit.* Et quidem amara, acria, & ſalſa calida eſſe, guſtatu explorante nunc ſcimus. Acida verò, & acerba, auſteraq; eodem modo intelligimus eſſe frigida.

Odorem prætereà, coloremq; facultatum internuncium eſſe, ſunt qui exiſtiment. Sed ſi Galeno habenda fides eſt, minùs rectè. Nam tum 2. Simpl. tum alibi apertis multiſq; verbis redarguit eos, qui odoribns coloribuſq; hac in re fidem habent. Et ſanè de colore certum eſt, mendacem hunc eſſe, infidumq; facultatum indicem. Etenim non minùs frigida, quàm calida alba ſunt: non minùs calida, quàm frigida ſunt rubra. Alba eſt camphora, alba

Cap. 27.

cæpa

cæpa : rubra eſt roſa,ruberq; cicer.

Odor autem etſi mendax habetur a Galeno, tamen non omnis ei fides adimenda videtur eſſe. Quamuis enim calida frigidaq; vt moſcus & ſandali iucundum odorem fundant; e ſandalis tamen non vt frigidis,ſed vt calidis ſuauitates odorum efflantur. Semper enim odor caloris ſòboles eſt. Cum enim odor ſit iucundus quidam vapor, ex odorata re exhalans; ſanè calore opus eſt, qui torpeſcentem illam materiam frigoreq; aut alio concretam excitet, calefaciat, attenuet, & in vaporem ſoluat. Quarè cum quippiam odoratum ſentimus, etiam ſi frigidum alioqui habeatur, de aliquo tamen eius calore ſuſpicio non mediocris inijcitur, Qui quidem calor licèt impotens ſit ad magnum in nobis accedendum calorem, poteſt tamen vaporoſam tenuemq; excitare exhalationem, atque adeò iucundum odorem fundere. Neque flores nymphææ, qui frigidi, craſsi, lentiq; ſunt, negotium faceſſere videntur: quia ſuum habent inſitum calorem, quo hu-

mo-

mores coquant, digerant, attenuent, tenueſq; partes in vaporem excitent. Er licet craſſa lentaq; ſit eorum ſubſtantia, tamen odor non ex tenui ſemper expirat: alioqui enim ex tenuiori ſubſtantia maior iucundiorq; odor exhalaret. Quod falſum eſſe, tum montanæ balſami ſuccus, ceteris vt tenuior, ita minùs odoratus, tum ambra, craſsiuſculæ ſubſtantiæ, maximè odorata atteſtatur. Itaque, vt verbo dicam, odor etiam in frigidis ſubſtantijs frigus facit ſuſpicioſum, caloriſq; facit ſuſpicionē: atque adeò odorata frigida ſaltem minùs frigida eſſe frigidis inodoratis oſtēdit. De ijs, quæ ſimilia in gradu eſſe cenſentur, dictum volo.

Iam verò congelatio quoque aut coagulatio facultatem medicamenti ex Auicenna palam facit. nam quæ a frigido indurantur, vt Mercurius, ſunt frigida: quæ a calido, vt nitrum, calida ſunt. Lenitas etiam calorem videtur atteſtari, viſciditas frigus, humiditatem mollities, friabilitas ferè ſiccitatem.

Ex his ergo (vt eò, vnde diſceſsit, reuerta-

uertatur ſermo) alijſq; huiuſmodi notis, a me breuitatis cauſſa prætermiſsis, medicamentorum facultates explorare primò debemus, deinde cum humano corpore comparare. Prius enim philoſophi perſonam induti, naturam medicamenti, vireſq; ſedulo perueſtigare, deinde ad noſtrum corpus referre debemus. Atque ex prima illa æſtimatione cuiuſq; temperamentum, ex altera temperamenti gradus definiendi. Præſtò ſit exemplum, e re viſcida accerſitum. hanc cum ex aquea terreaq; ſubſtantia conflàtam eſſe doceat philoſophia, frigidam propterea eſſe iure optimo exiſtimamus, Quatenus verò frigida ſit, nouiſſe oportet ex humano corpore. nam ſi maximè, aut perniciosè hominem refrigeret, quarto gradu ſummeq; frigida ſtatuetur. Si verò impensè quidem, ſed tamen citra aut perniciem, aut magnam læſionem, ordine tertio. At ſi planè quidem innoxiè, perſpicuè tamen & omnino manifeſtè, ordine ſecundò. Si demum penitus infirmè obſcureq; primo gradu frigida exiſtimabitur. De

cicuta, deq; ceteris idem ſentio.

Neque verò audiendi ſunt quicunque arbitrantur (arbitrantur autem plerique ac præſertim Daniel Sennertus vir nunquam ſatis laudatus) nos, non vt philoſophi ſumus, ſed vt medici ſolùm, de medicamentorum viribus ratiocinari debere; hoc eſt, quid ex ſeſe medicamentum ſit, quaue polleat facultate, ſecundum ſe extimatum, perpendere non debere: ſed ſolùm, quid noſtro corpori comparatum efficiat. Non, inquam, audiendos eſſe puto: quia ſi in tanta rerum naturæ ſpeculatione, in re tenti momenti philoſophi perſonam exuti, ac philoſophia pęnè omne ſpoliati, medici ſolùm, hoc eſt, vt cum Magno Scaligero loquar, *craſsiuſculi* Exercit. 61 *artificis* perſonam indueremus, ſanè ſpeculatio noſtra parum a vulgari atque empyricorum hominum diſtaret. Non enim mihi perſuaderi poteſt, medico in indagandis medicamentorum viribus ſolius noſtri corporis rationem habendam, propriamq; eorum naturam penitus negligendam. Immo verò ſubtiliſsi-

liſsimorum aciem philoſophorum, ſi fieri poſſet, adeptus medicus, medicamenti naturam perſcrutari, in eius quaſi penetralia peruadere, abditaquæq; luſtrare, prima eius elementa, elementorum partes, partium qualitates, ac tandem qualitatum philoſophicos gradus cognoſcere deberet. Sic enim medicamenti ſecundum ſe æſtimati qualitatem aſſequutus, promptè cum humano corpore comparabit: &, vt dixi, ſicuti ex priori illa relatione medicamenti qualitatem, ita ex poſteriori qualitatis gradum definiet.

Neque verò Galenus, vt e libris de Simpl. Med. Fac. ſuſpicio iniecta videtur, hac in re nobis aduerſatur. Nam etſi *non quod abſolutè eſt calidum, conſiderare propoſitum nunc eſt, ſed quod corpus humanum calefacit;* tamen non prohibetur, qnominus naturam vireſq; ſecundum ſe cuiuſq; medicamenti accuratè inueſtigemus. Solùm enim ſibi vult Galenus, medicamenti qualitatem ſecundum ſe æſtimati eamdem non eſſe homini, atque ſecundum ſe eſt: propte- Galenus Simpl. li. 2

Digitized by Google

reaq; ad humanum corpus omnino re-ferendam. Non enim quia cicuta ſe-cundum ſe frigida eſt, exempli cauſſa, ordine ſecundo, eodem gradu frigida erit homini. *Ergo non abſolutè ex materiæ paſsionibus coniÿcere eius ad nos facultatem oportet*, ſed præterea ex noſtro-met corpore definire. Iam verò id ſibi velle Galenum, medicamentiq; facultatem non ex noſtro corpore palam fieri, ſed prius innoteſcere, quàm cum eo conferatur; liquidò conſtat ex lib. 3. de Temperam. ibi enim indagans, quid energia, quidq; poteſtate calidum, frigidumue ſit; humidum, aut ſiccum, ait, bitumen, raſinam, ſeuum, oleum, picem ea potiſsimum ratione cognoſci, poteſtate eſſe calida, quòd energia & actu celerrimè calida fiant, & in flammam vertantur; & ſubdit, *Medicamenta, quæ, vbi ignem attigerint, facilè accenduntur, nos quoque excalefaciunt.* Itaque prius ex facili accenſione intelligimus, medicamentum eſſe calidum, quàm ad noſtrum corpus referamus. Ergo ex comparatione illius cum corpore non quali-

Galenus Simpl. li. 1.

tas,

tas, prius nota, ſed gradus innoteſcit. Tu verò Rodericè, aures his animumq; ſi lubet, amanter præbe: neque tamquam M. Caſtritius annis fretus hæc illude, aut contemne. non enim (abſit verbo iactantia) Luſciniæ deplumatæ ſimilia ſunt, quæ, vt dixit Lacon ille, *Vox eſt, præterea nihil.*

Vnde Sero Purgandi facultas? Num ex Butyro? Noua Roderici opinio Planè Antiquatur.

CAPVT IIII.

MAgnum, ſed amicum, mihi diſſidium hic tecum eſt. Eam, quæ ſero ineſt, purgandi vim e butyro contendis emanare. Ego non e butyro, contendam: primò quidem Galeno & Meſuè, mox ratione, demum experimento. Hiſce tribus quaſi tripartito agmine tuam, Roderice, opinionem aggrediar: prius tamen tuorum aciem argumentorum infringam. Serum, inquis,

cum aquea ſit ſubſtantia, imò aqua ipſa, ex ſe nullam habet purgãdi facultatem. ergo ab alio eam mutuetur, neceſſe eſt: non a caſeo, qui aluum ſiſtit, ergo a butyro. nam pars in lacte præterea nulla. Sed amabo te, quidnam tibi vis ſeri nomine? Conueniamus primò de re, nomineque: humorem ne, & liquorem illũ, e ceteris lactis partibus ſecretũ? Nimirũ. Cur hic purgandi vi ex ſe non pollet? Quia, inquis, eſt aqua. Hic ſanè doctrinam tuam aucupatus ſum, nec profectò euadet ab aucupio. nam verè

Ouid. de Arte. Alandi.

Decidit in caſſes præda petita meos

Humor ille ſi eſt aqua, ad purgandum inepta, admiſti ſolius butyri beneficio purgans: cur etiam non purgabit elementaris vulgariſuè aqua, eodem permiſta butyro? Sanè butyri guttulis cum aquæ amphora propinatis, vberrima expectãda eſſet purgatio: & omninò expectanda, ſi ea eſſet, quam ſcribis, butyri ſeriq; facultas. Etenim nec aqua lactis quicquam impertitur butyro, quod idem vulgaris impertiri nequeat: nec butyrum lactis aquæ, quod idem

puræ

puræ putæ nequeat impertiri.

Dices, hoc intereſſe inter vulgarem, & lactis aquam, quòd hæc acris ſit ex Galeno, ex Meſue nitroſa, aut ſalſuginoſa ex Auicenna. Sed hoc effugium eſt minùs tutum: nec vnquam tibi eſſe poteſt *Hermionis vice*. Nam velim dicas, num aqua lactis purget huiuſmodi acrimonia, nitro, ſaleq; Si purgat: ergo aliunde ſero purgandi facultas, quàm ex butyro. Sin minùs, ergo nihil intereſt inter vulgarem & lactis aquam. Neque dicas, purgare quidem, ſed infirmè; additò verò butyro valentiùs: quia nouum id eſſet commentum, tuo non adſcriptum commentario: imò ei planè repugnans. Ariſtophanes in Babyl.

2 Prætereà, medici omnes conſueuerunt (a qua conſuetudine nullo modo abhorrere licet) vt ſero purgent, diligenter ab eo butyrum eliciendum curare. At illi eò feliciùs purgationem futuram expectant, quò diligentiùs ſerum à butyro abſtractum propinant.

3 Accedit, quòd ſeri nitroſitas & acrimonia, in qua, ſi Galeno credimus,

 Meſue,

Meſue, & Auicennæ, maximè ſita eſt purgandi vis, non ſolùm non acuitur a butyri vnguine; ſed hebetatur potius ac reſtinguitur. Imò verò & humorem illum ſeroſum, qui, vt tu etiam fateris, abluendo trudendoq; purgationẽ iuuat, ita retardat compeſcitq; butyri lentor, vt celeriter, vt ſolet, præterfluere non ſinat, *non alter quam pinguedo, adeps, oui albumen ceratumq; ex oleo & cera confectum*, vt ait Galenus.

4 Inſuper ſi ea eſſet, quàm profiteris, butyri facultas, bubulum lac, quod maximè butyratum eſt, magis aſinino purgaret, minimè butyrato, maximè ſeroſo. Caſeum autem, quo bubulum magis abundat, te iudice, adimere non poteſt purgandi vim: quia maximè butyratum eſt. maximè autem butyratum maximè purgat ex te.

Ceterùm, Roderice, fruſtra nos agimus, & omnino incaſſum, niſi priùs conuenimus de ſero. Quod nam ſerum tibi vis? Illud ne, quod ex arte depuratum, innatantem non habet butyrum? An potius illud, quod perperam

nul-

nullaq: arte ſeparatum multo caſeo, bu-tyroq; impurum eſt? Sanè de hoc tu nō loqueris, nec, ſi loqueris, te loquentem audirem. Illud ergo tibi vis, quod optimè depuratum eſt, quodque medici omnes ad purgandum paſſim adhibere ſolent. Hoc autem vnde noſti eſſe bu-tyratum, ex ſenſu, an ex ratione? Profectò ratio nulla tibi præſto eſt: imò omnino te refellit. cum conſtet, aſininum, ſuapte natura botyri inops, ex arte præparatum nihil butyri continere. Senſu igitur explorante butyri atomos in ſero latitare intellexiſti: quibus ſolis acceptam referas omnem ſeri purgationem. Sed quę tanta eſſe poteſt oculi ingenijq; acies quæ in ſernm intimè peruadat, atomoſq; depræhendat butyraceos, aciem aliorum omnium effugientes?

6 Sed eſto huiuſmodi butyrum nec ratione, nec ſenſu; addo, nec experimento compertum (quod enim experimentum nobis fingere poſſumus?) ſero adhæreſcere, & occultum in intimis eius penetralibus latitare: quid inde? Non ne emplaſtica eius vis eſt? Nempe. Ita

Cap. 11. cenſet Galenus 5. Simpl. At ex eodem cap. 9. compertum eſt, lenta ea eſſe, craſſaque, ac viſcoſa: ac proinde meatus obſtruere, firmè adhæreſcere, ſegniterq; extrudi: ergo inepta ad purgandam aluum.

4. Acutorum. 3. Alim. Fac. 7 Immo verò pulchrè Galenum, ſi ſententia tua rata eſſet, illudere liceret. Lac aſininum magis aluum purgare ait, quia ſeroſius. Ineptè. Quia butyroſius, dicere debuiſſet. At reuera non butyroſius eſt, ſed ſeroſius, nempe butyro planè contrarium. Ergo falsè, ne dum ineptè. & Hippocrates 2. de Diæta, Propter ſerum lac per aluum ſecedit. Nimis oſcitanter. nam propter butyrum dicendum fuiſſet. Hac ratione ludificare liceret Magnos viros, ſi quæ de botyro ſcripta ſunt, non eſſent λῆρος πολύς.

Cic. Att. lib. 16. 8 Iam verò, vt tuam de butyracea purgandi facultate opinionem comprobes, aliud in medium affers argumentum, ex recenti caſeo depromptum. Ais, recentem caſeum cum melle ſumptum promulſidis loco aluum ciere butyri admiſti beneficio. Fieri ne poteſt; vt

tanta

Digitized by Google

tanta ſit butyracea purgandi facultas, vt vel gutta, quam in recenti caſeo odoramus, adſtrictam aluum ſoluere poſsit? Meherculè ſi butyri loco tantumdem rabarbari, &, penè dixerim, ſcammonei inſereres recenti caſeo, vix eam, quam tu de butyro ſpondes, purgationem patraret. Caſeum recenter coactum, ſi ſumatur cum melle ante alios cibos, aluum purgare, ſcripſit Galenus. Fateor. An proinde quia butyratum? Minimè gentium, ſed quia mellitum. Caſeum comede recentiſsimum abſque melle, ita ſanè re doctus intelliges, quàm infirma ſit recentis caſei non melliti purgandi facultas. Mel autem aluum purgare, notiſsimum eſt. Audi Meſuem de ſero loquentem: *Sed cum imbecillum ſit ad purgandum cum melle & lupi ſalictarij germinibus ſanguinem potentius purgat bile flaua & humoribus aduſtis.* Sed quę de Rhu ſucco ſcripta ſunt a Galeno aptiùs quadrant melli recentiq; caſeo. Rhu ſuccum (vt omnino caſeum) adſtringere aluum ait Galenus; miſtum verò melli etiam adſtractam ſoluere. Dubitan-

De Simpl. Medic. cap. proprio. 3. Simpl. c.14.

randum ergo non eſt, quin recentis caſei melliti purgans facultas in mel ſit referenda.

9 Immo verò ſi butyrati caſei tanta vis eſſet, Placentinus, Parmenſis, Batauus, aliusue ex inferiori Germania aduectus non ſolùm nobis aluum ſubducerent, ſed ferè etiam diarrhæam concitarent. nam adeò butyrati ſunt, vt ſciſsi ferè butyri guttas fundant.

10 His accedit, quòd Galenus de caſeo ſecus videtur ſentire. *Caſeus recens & mollis durò & ſicco flatuoſior exiſtit, minuſq; quàm durus ſiccuſq; adſtringit, hoc eſt, aluum ſiſtit*. Ego vterque aluum adſtringit, licet alter magis, minùs alter.

Galenus.

11 Sed recentem caſeum etiam ex pinguiſsimo lacte cogamus, ſi libet: ea ſcilicet ratione, qua cogendum præcipit Galenus, *Seroſo duntaxat humore per coagulum ſeparato* (ſunt Galeni verba 10. Simpl.) reponamuſq; ad annum. Scire vellem, num hic aluum ſubducat? Sanè non ſubducere, vnuſquiſque interrogatus reſpondebit; *Etiam ſi adeò*

pin-

Digitized by Google

pinguis ſit; vt ex eo effluat quippiam ad ſpeciem olei, vt de Placentino, Batauoq; diximus. Neque obijci a te poteſt, vetuſtate amittere purgandi facultatem, quia ex Galeno vetuſtate fit calidior: ergo aptior ad purgandam aluum, ſi tibi met credendum eſt. nam calore purgaret magis. ad purgandum enim calorem vndique conquiris, ſeroque e butyro accerſis. Itaque ex butyro caſeoq; paullò calidiori paullò vberiorem purgandi facultatem nanciſceris. Neque quicquam obijcias de ſale, adeò vt huius opera & maleficio caſeus vetuſtus exuat purgandi facultatem. Nam ſal ſi adimeret huiuſmodi vim, exiccando adimeret abſumendoq; butyrum. At hoc non eſt abſumptum, cum ex eo ſciſſo guttæ ferè lacrimæue prodeant. Quinimò tantum abeſt, vt ſal adimat aut reſtinguat eam purgandi vim, vt potius impertiatur vberiùs. Attende Galenus 3. de Alim. Fac. de lacte ſeroq; loquentem. *Quod ſi ipſum magis ſubducere velis ſalis quamplurimum inijcies.* Attende Hippocratem hac in re Galeno aptiorem: *Salſamenta*

Galenus loco citato.

2. de Diæta. 11.

Digitized by Google

menta ſiccant, attenuant, pleraq; etiam leniter aluum mouent. Sed de Galeno iurè me accuſare potes: cum, de caſeo loquens, Galenum producam de ſero loquentem. ſed audi eumdem de ipſomet caſeo. *Lenit & caſeus, quando ei miſcetur ſal & mel*.

Valer. l. 4. c. 4. 12 Sed per Deos iuro, *per Romuli caſam; perque æternos Veſtæ ignes*, mihi perſuaderi non poſſe, tantam ceſei molem, ad cohibendam aluum factam natamq; a pauculo illo butyro ad purgandum ventrem omnino imbecillo, aptam reddi poſſe ad purgationem. Quòd ſi quis, me longè perſpicacior, tantam in butyro purgandi vim reuerà deprehenderet, præterquam quod ei libenter aſſentirer; pollicerer etiam, in meq; reciperem, ſe magnā ab ijs gratiam, qui ſegniori aluo præditi ſunt, initurum: cum præſtantem minimeq; moleſtam eis medicinam apponeret. Maiorem certè ab ijs, qui prætereà gulæ indulgent, cum non modò præſtantem, ſed gratam etiā palatoq; ſuauem eis medicinam ſuppeditaret. Horatius *Omne vtique ferret punctum, cum*

Digitized by Google

cum miſceret utile dulci: Omniq; præſtantis medici munere fungeretur, cum *Tutò, celeriter, iucundè curaret.* Celſus.

13 Hactenus de caſeo: ad butyri calorem (quod tertium eſt vltimumq; tuum argumentum) accedamus. Ex Auenröe ſerum purgandi facultatem a butyro mutuari probare contendis: quippe is auctor alicubi ſcripſerit, vnumquodque purgans calidum eſſe. Cum ergo ſerum, ſuapte natura frigidum, nonniſi ex butyro calorem, vt ais, mutuari poſſit, vtiq; nonniſi ab eodem purgandi facultatem. Sed primò quidem non eſt, cur aliunde purgantem ſero calorem mutueris, cũ ex nitroſis eius partibus haurire poſſis. Quòd ſi nitrum repudiare volueris, ex acribus ſaltem qualitatibus, quas Galenus ſero ineſſe, tuq; ipſe fateris, calorem accerſere potes. Deinde meminiſſe debemus, non omnia, quæ quouis modo purgant, calida ſint, neceſſe eſſe. Roſæ, violæ, manna, caſſia, tamarindi purgant abſque calore, ſi tibimet credendum eſt cap. 9.

Sed

Sed hic præterire non poſſum manifeſtam tuorum verborum contradictionem. Ais hic pag. 23. libelli tui, *Serum ex ſe caliditatem non habet*; propterea tanquam egens, ac planè expers, a butyro (quod cum temperatū ſit, paululum caloris habet) calorem petere purgationis cauſa Pagina verò 16. calorem non exiguum & acredinem, probans Galeni ſententiam, ex ſententia ſero tribuis. Tu hæc videris.

14 Ego ſanè non video, quì fieri poſſit, vt ſerum adeò inops ſit a calore, vt hunc a butyro mutuari ei ſit neceſſe. Profectò Galenus, ſerum butyro calidius eſſe, ſcribit 3. Alim. Fac. 16. *Neque enim calidam acremq; qualitatem quam lac a ſero habet, neque pinguem & mediocriter calidam, quam lac a pinguedine poſſidet, &c.*

Iam verò audio, qui obijciant, me deſtruere quidem opinionem tuam, meam verò non conſtruere. Si ſerum butyri beneficio non purgat, quo adminiculo, quaue ratione purgabit? Aqueo ſuo humore, ſua acrimonia, nitroſitate

ſua.

ſua. Ergo abluendo, trudendoq; vellicando, ſtimulando. Num etiam electiuè, vt vocant? Anceps hæreo, & *in portu*, vela facere non audens: octauo tamen huius opellæ capite *vela ventis permittam* Hippocratis auſpicijs, leniſſima eius, vt ſpero, aura proſequente. At verò, vt, quòd præſentis inſtituti eſt, breuiter attingam, ſerum humore ſuo purgare, patet ex Gal. 3. Alim. Fac. 15. vbi de lactè verba faciens hæc habet, *Pinguiſſimum eſt lac bubulum: ouillum verò & caprinum habent quidem & ipſa pinguedinis quippiam, ſed multò minùs. aſininim huius ſucci habet minimum. Quocirca raro in ſtomacho cogitur & eamdem ob cauſam magis per aluum deijcitur, vt quod ſerum multum habet, a quo lac omne facultatem accipit deijciendi.*

Vides ergo Galenum omnem ſero purgandi vim tribuere: ſero, inquam, minimè omnium butyrato. Neque dicas, caſeum eſſe, qui pinguiſſimo lacti purgationem interdicit, quia tu pinguiſſimo caſeo non mediocrem purgandi vim tribuiſti.

buiſti.

buiſti. Illud tamen animaduertendum eſt, non omnem ſeroſo humori acceptam referendam eſſe purgationem, ſed ex parte eius acrimoniæ, *Cuius occaſione lac omne aluum ſubducit*: quamq; a ſero lac accipit ex Galeno. hæc enim eſt, quę irritat excitatq; ad purgationem.

Galenus.

Meſues adſtipulatur Galeno, cum ait, *ſerum nitroſa ſua ſubſtantia purgat clementer & ſine morſu flauam bilem & vſtos humores.*

Sed quicquid ſit de Meſue, Galenoq; quos tu, fide abrogata, planè contemnis; certum eſt, experimentoq; comprobatum, ſerum diligentiſſimè a butyro ſeparatum purgandi vim non mediocrem habere. Ego ſanè re doctus id affirmo, affirmantq; omnes, qui Galeno, Meſuæ ceteriſq; medicinæ ſenatoribus fidem habentes, minimè omnium butyratum ſerum purgationis cauſſa propinant.

Sed non video, cur ſero ebutytato purgandi vis tribuenda non ſit. Non ne calorem, ſi opus eſt, ad purgandum idoneum? non ne acredinem & nitroſi-

tatem

tatem ei proceres medicinæ tribuunt? Cur ergo ſtimulare non poteſt, irritare, vellicare ſegniorem aluum? Cur humore ſuo abluens purgationem iuuare nõ poteſt? Sed id, quod maximè hæc comprobat, eſt effœta ac planè nulla butyri, quod ſero ineſſe fingimus, vis ac facultas. Nam ſi butyro non purgat ſerum, vt pluribus a nobis probatũ eſt, neceſſariò ſequitur, vt ea, qua diximus, ratione purget: annuente præſertim Galeno ac Meſue, imò & Hippocrate ipſo, Perpetuò medicinæ Dictatore; & experimento apertè comprobante. quibus omnibus repugnare, ne Zetho quidem Pacuuiano, *qui philoſophiæ propè bellum indixit*; aut *Speuſippo, qui Platonicæ ſapientiæ veluti hæres inſtitutus fuit* impunè liceret.

Butyracea Purgandi Facultas : An ex ſeſe, An potius ſero miſta magis purget?

CAPVT V.

CRESCIT opus in manu: vrceum cœpi, ſed, currente rota, exit amphora. Paucis principiò te volebam, nunc tamen pluribus tecum agere neceſſe eſt. Tertio libelli tui capite infirmã fateris butyro ineſſe purgandi facultatem, ſero multò firmiorem. non ergo ex butyro purgandi vis deriuatur in ſerum. Expedire niteris hunc nodum violarum ſimilitudine: quæ infuſæ quidem haud exiguam purgandi vim adipiſcuntur: abſque infuſione tamen vix purgant. Id ipſum, inquis, butyro accidit. nam etſi ex ſe purgandi vi omnino infirma præditum eſt; ſero tamen miſtũ multò validiore pollet. hoc enim infuſionem mater appellatur a Meſue, fundamentum infuſionum.

Cete-

Ceterùm (ita Dij me ament) diu multumq; cogitaui, perquiſiui, indagaui haud oſcitanter, haud omnino negligenter, quid impertiri poſſit aut butyrum ſero, aut ſerum butyro, vnde ſtatim atque commiſta ſunt, validam purgandi facultatem nanciſcantur. Ante miſtionem vtrumque per ſe indigens & effœtum ex te: poſt miſtionem vtrumq; validum. Intende mentis aciem, ingenij viribus neruiſq; omnibus contende, vt aliquid ex hac miſtione natum, ad purgandum efficacius eruas nobiſque oſtendas. Sed verè *aquam e pumice poſtulares*. De violis autem, quas tu opponis, ita ſentio. Purgandi vis in purioribus ſita eſt earum partibus, ſiue in tenui & extrema humiditate (nam de acredine & vi occulta anceps hæreo) quæ vt ab impura terreſtrioriq; eorumdem ſubſtantia obtunditur & hebetatur, ita elicitur ſugiturq; per infuſionem. Quarè ex ijs partibus, a quibus hebetabatur, per infuſionem abſtracta valentius purgat. Hæc de violis ſentio: neq; vereor, ne tu eadem ſentias: quæ ſi bu-

tyro tuo aliqua ratione accomodare poſſes, vt tu mecum de violis, ita ego de butyro tecum ſentirem. neque enim hæc noſtra diſſentio *Empedoclea ſimultas eſt*,

Ceterùm, Roderice, liberiùs tecum loquar, oportet. Pugnantia de butyro loqui videris, aut ſaltem incongrua. Vltrò faſſus es, exiguam hoc habere purgandi facultatem; ſero miſtum non mediocrem nanciſci. Conferto hæc cũ ijs, quæ de caſeo butyrato a te nuper ſcripta ſunt. Butyrum ibi, aut potius butyri guttulas, per ſe debiles, ac planè effœtas, in caſeoſa compactaq; ſubſtantia ad purgandum inepta, imò ad cohibendam aluum planè apta, coarctatas aluum purgare affirmas. Hic verò eaſdem butyri guttulas ad hoc, vt purgent, humore miſces, caſeo planè contrario. Ibi cogis coarctaſq; butyrum; hìc laxas & fundis vtrobiq; purgationis cauſſa. Meherculè ſi vt Protheus varias contrariaſq; formas, ita iſtud butyrum diuerſas indueret pro arbitrio facultates. ſi non propriæ naturæ; ſed iubentis nutui obtem-

temperaret , quæcunque iuberentur, illico butyrum exequeretur, non poſſet, ita viuam, tam varia præſtare, tam contraria: non poſſet tam facilè ac promptè ſeſe diuerſis contrarijſq; accomodare. Sed hoc ipſe nec aſſequi, nec vllo modo animo comprehendere poſſum, Butyrum debile eſt ex ſeſe ad purgandum, *Nec niſi largius ſumptum aluum ſoluit* (ſunt tua verba cap. 3.) & tamen vel pauculum caſeo miſtum valentiùs purgat: purgat valentiùs & ſerò miſtum! Iam verò obliniendo, lubricandoque, & emolliendo butyrum ſoluere adſtrictam aluum, omnino exiſtimo. Etenim ſi, humore abſumpto, areſcant in inteſtinis & compingantur excrementa, indeq; extrudi propterea non poſsint; ſanè præterfluens butyrum vnguine ſuo non modò lenit & humefacit exiccatam & quaſi aſperam aluum, fecibuſq; viam lenem ac lubricam ſternit: ſed etiam ipſa emollit excrementa aptaq; reddit ad exeundum. Hæc, non alia, eſt butyracea purgandi facultas: quam, licet poſteriori ordine, libuit tñ apponere, ne, vt ait ille,

Ex Dioſcoride.

Digitized by Google

Incœnatus & impaſtus potuq; ciboq; accubuiſſe in hac menſa viderer.

Iterum de Butyro, deque ſero: Dioſcoridis & Galeni loca perpenſa: Meſuæ lux data.

CAP. VI.

Tibi fidem non abrogo de Galeni verbis, *Quod a coactis ſerum defluit ſatis aluum mouere.* Multò minùs de verbis Dioſcoridis, quem ſat ſcio lib. 2. cap. 62. quæ tu affers, habere verba. ea hæc ſunt: *lac quodcunq; ſerum continet implicitum: quod vbi diſceſſerit a lacte, multò potentiſsimum redditur ad purgationes.* Vterq; auctor, ſerum a lacte, vt ais, ſeparatum purgandi vim habere ſcribunt. Separatum autem, inquis, a caſeo, non a butyro: idq; ſibi velle & Galenum & Dioſcoridem. Longè alia mea eſt ſententia. Perpendamus primò Galeni verba: *Quod a coactis deffluit ſerum ſatis aluum mouere.* Tria inſunt

lacti,

lacti, caſeus, butyrum, ſerum.

Hoc cum defluit, duo relinquit, non vnum: caſeum, butyrum. duo, inquam, ex Galeni mente, qui *a coactis* dixit. Quod ſi vnum tantùm relinqueret, hoc eſt, ſolum caſeum, *a coacto* dixiſset, non *a coactis* (compeſce cachinnum: mox ſatisfaciam tacitè obſcurèq; obijcienti) Id ipſum ſibi vult Dioſcorides: *A lacte diſcedit ſerum*: nempe a ceteris lactis partibus, caſeo butyroq; nam alioqui *a caſeo* dixiſſet.

Neq, dicas, ſerum, a lacte ſeparatum, non omnes exuiſſe butyri partes: ſed aliquas ſibi aſciuiſſe, reſpuiſſe alias. & illarum quidem beneficio aluum purgare: quia idem, & quidem veriùs, de caſeo ipſe affirmabo. nam ſerum a lacte ſeparatum plus caſei, quàm butyri ſibi adiungit. Hoc tu negare non potes, cum aſſeras, totam illam molem, quæ, a ſeroſo humore ſeparata, in diſtillatorio vaſe ſubſidet, merum eſſe caſeum: cumq; butyri guttas ne Lynceus quidem aut Argus in ſero videre poſſit. Iam verò cum caſeus alui cohibendæ vi præditus

ſit, vtiq; ſerum ab ijs, quæ a lacte diſcedens ſecum ducit, cohibentem potius, quàm laxantem facultatem mutuabitur.

Hæc ſi de ſero a lacte ſeparato Galenum loquutum eſſe cenſeas. Si verò accuratiùs Galeni locum attendens, de eodemmet ſero, non a lacte, ſed a caſeo ſeiuncto (neque enim omnino eadem res eſt; ſaltem quo ad differendi modum ſpectat) eum loquutum eſſe velis, vt verè loquitur, magnam offendis in libello tuo contradictionem. Etenim cum Galenus ait, *Caſeos recenter coactos cum melle ſumptos ante alios cibos aluum ſubducere*: tu butyri remanentis beneficio id a recenti caſeo præſtari ſcribis. Cum verò ſubdit Galenus ibidem; *Quod a coactis* (caſeis) *defluit, ſerum ſatis aluum mouere*: tu *A coactis*, inquis, *abſque butyri extrectione*. Itaque hoc poſteriori loco ais, butyrum vna cum ſero defluere ac diſcedere a caſeo: priori verò loco cum caſeo remanere. Quòd ſi butyrum æquè & in recentem caſeum, & in extractum ſerum affatim & abundè (nam *non niſi largius ſumptum aluum*

ſoluit:

ſoluit : ſunt tua verba cap. 3.) ſeſe inſerere, volueris ; cauendum eſt, ne caſeariam artem peruertamus : perperam coriam ſeparemus ſerum, colligamus caſeum, ſeparemus ſerum, colligamus butyrum. Etenim ſi ex arte hæc præſtemus, butyri non multùm in caſeo, pauculum vel nihil in ſero relinquemus. Quod ſi in illo, vt purget, copioſum butyrum relinquere libeat; omnino neceſſe eſt, vt ſerum eodem ſpolietur. neque enim vtrobiq; affatim & vberrimè : & niſi vberrimè, omnino impotens eſt; omnino effœtum, vt fateris monitus à Dioſcoride.

Adiungis Meſuæ verba, quibus tuam fulcias ad Galenum & Dioſcoridem explanationem. ea hæc ſunt ex recta, perſpicua, elegantique Siluij interpretatione. *Fit autem*(ſerum)*ex lacte ebutyrato, ſiue a quo pingue innatans ſecretum eſt, quando lubricitatis cauſſam ex partibus excretorijs auferre volumus : ex lacte non ebutyrato, cum eas partes lenire magis ac lubricare ſtudium eſt.* Quid putas ſibi velle Meſuē hiſce verbis? *ex ſero cum ſumi debet ad purgandum butyrum*

non

non extrahendum tua ſunt verba . Ego longè aliud eum ſibi velle,& exiſtimo & probo. Exhibetur ſerum (vt tecum loquar)ex hocMeſuæ loco butyro adempto, & non adempto butyro. illud cum excretorijs membris lenitate non eſt opus: hoc cum lenitate opus eſt. Itaque duplici modo ex Meſue ad purgandum exhibetur ſerum, ebutyratum nempe,& butyratũ.Ebutyratum ,cum præter purgationẽ nullo alio opus eſt: butyratum, cum prętereà exſiccata aſperaq; membra lenire conſilium eſt. Non rarò enim accidit, vt membra purgationi ſeruientia præ febrili , vel alio calore ita ſcabra ſint arefacta , aſperaq; (vt eorum natura patitur)vt obliniente aliquo & lubricante(butyro alioue) indigeant . alioqui enim tum quæ in eis concluſa exaruerunt, excrementa; tum quæ aliunde eò prolabuntur, inde elabi non poſſunt. Sed de Meſuę loco inferiùs . *Serum*, addis, *meliùs purgat lacte ſolo, aut butyro ſolo, vtpote quod melius inteſtina abluat*. Si ſerum eſt aqua,ex ſe ad purgandum omnino inepta, ſolius admiſti

bu-

butyri beneficio purgans, vt ſuperiùs probare conatus es, non abluendo purgabit, ſed obliniendo, lubricando. hęc enim eſt butyri facultas. Quòd ſi purgat abluendo, ſanè purgandi vis non ex butyro, ſed ex ſeſe. At, inquies, vtroq; purgat modo:

Clipeum poſt vulnera ſumis Ouid. 1. Triſt. 5.

Serum An ſolùm ad Purgandum, An etiam ad Alterandum apud Veteres Vſurpatum? Hippocrates, Galenus, Meſues Expenſi.

CAPVT VII.

SERVM non ſolùm ad purgandum, ſed etiam ad alterandum apud veteres in vſu poſitum, ex Meſuę mox allatis verbis probare contendes. *Quoniam*, inquis, *Meſues verba præ manibus habemus, quibus ex lacte ebutyrato ſerum ad lubricandam aluum accipit, ex non ebutyrato autem ad lubricitatem impediendam antequam vlterius pergamus,*

con-

conſiderare oportet, iam tempore Meſues ſerum cõſueuiſſe accipi ad alios vſus præter purgationem. Hęc tu: cui primò quidem condono latinitatis crimen *de ebutyrato, non ebutyrato*, vel potiùs aliò culpam deriuo, in impreſſores. Sed vereor, ne tantam illi culpam ſuſtinere poſſint: præſertim ſi hæc conferantur cum ijs, quę pagina 30. a te ſcripta ſunt. Sed de latinitate hactenus. non enim hìc cõſilium eſt *in alieno foro litigandi*, ſed in medico: vt ne videar, quaſi, *omiſſa hypera, pedem inſequi*. Perpendamus ergo mentem verbaq; Meſuæ. Hic ait purganti ſero miſcendum eſſe butyrum: ſeu mauis dicere, butyrum ex eo extrahendum non eſſe, cum lubricitate opus eſt partibus excretorijs, eis nimirum exſiccatis. Cum verò eæ partes lubricitate non egent, ſero ebutyrato purgandæ. Hęc ſi attendas, reperies profectò, ſerum ad vnum tantùm vſum a Meſue vſurpatum, ad purgandum: ad lenitatem verò exiccatis partibus affricandam butyrum eſſe adiunctum. Ecce alium vſum, quem ſero tribius, butyro tribuendum.

Scholiograph. ad Demoſt.

Hæc

Digitized by Google

Hęc ita ſeſe habere, idque velle ſibi Meſuem, patet apertiſſimè eius verba conſiliumq; diligenter perpendenti. Ait Meſue, duplici modo parandum eſſe, exhibendumq; ſerum: primo ebutyratum, hoc eſt, extracto butyro; idq; *cum oportet cauſſa lenitutis a membris expulſionem abſcindere*: nempe, vt clariùs cum Siluio loquamur, *cum ex partibus excretorijs auferre volumus lubricitatis cauſſam*. Cauſa autem lubricitatis ex huiuſmodi partibus per ſerum auferenda, nihil aliud videtur eſſe, quàm pinguis lentuſq; humor ac pituitoſus, vel non abſimilis, qui partibus illis adhæreſcens lubricare poſſit. Cum ergo huiuſmodi humorem, vel quidquid ſit aliud, ex ijs partibus auferre conſilium eſt, ebutyratum ſerum adhibemus, ſiue ex lacte ebutyrato ſerum curamus parandum. Alioqui enim butyrum, ſero miſtum, retundendo ſeri acrimuniam, hebetandoq; nitroſitatem, attenuationem, abluitionem, abſterſionemq; qua ad humorem illum pinguem lentumue euacuandum opus eſt, impediret. Cum verò

Digitized by Google

rò in excretorijs partibus talis humor pinguis ac pituitoſus non adhæreſcit, aridæq; propterea exſiccatæq; (vt eorum fert conditio) ſunt eædem partes, ſero butyrato opus habent: ſero quidem ad purgandum; butyro verò ad leniendum. Tu verò ais, Meſuem ebutyrato vti ſero ad lubricandam aluum, non ebutyrato ad lubricitatem impediendã. Ergo vel ſententia tua vitium facit, vel latinitas planè corruit. nam ſi hanc ſtare velis, illa collabitur, funditusq; euertitur: ſi verò illam fulcias, hanc ruere ſinas neceſſe eſt. Sed firmè ſtet, nullumq; faciat vitium latinitas, ac proinde ebutyratum hìc apud te ſignificet idem, quod pag. 30. & alibi apertè deſignat, nempe butyri expers; quomodò affirmare potes, Meſuem ebutyrato ſero, aut ſero ex ebutyrato lacte deprompto vti ad lubricandam aluum? ex non ebutyrato ad lubricitatem impediendam? Meſues vtitur ebutyrato ſero non ad lubricandum, ſed econtrario ad lubricitatem auferendam: vtitur non ebutyrato non ad lubricitatem impediendam, ſed

ad

ad lubricandum. Eius ipſa loquuntur verba. Illud tamen ratum firmumq; ſit, ſerum apud Meſuem ſemper ad purgandum, nec niſi purgationem ſpectare.

Alterum argumentum depromis ex Galeno 2. ad Galuconem: *Inuictus ratione ſuccus ptiſſanæ abundanter exhibendus, & ſerum lactis.* Ergo ſerum, inquis, etiam ad alterandum a Galeno vſurpatum. Expendamus, vt Meſuæ, tum verba, tum mentem Galeni. De elephantiaſi huic ſermo eſt, calido ſiccoq; morbo, ex calidis, ſiccis, vſtiſq; humoribus oriundo; partibus exuſtis, areſcentibus, ac fędè labefactis. Itaque victus ratio ea eſſe debet, quæ nō ſolùm vires a difficili ac diuturno morbo perculſas reſtituat: verùm *(quod prora & puppis eſt)* calidum etiam viſcerum intemperamentum, vſtos humores, areſcentes partes humiditate corrigat ac frigore. Nam ſicuti cibus, vt cibus, indicatur a viribus, ita, vt calidus frigiduſue, humidus aut ſiccus, indicatur a morbo. Meritiſſimò igitur Galenus in elephantiaſi ptiſſanam perrigit & ſerum.

Quòd

Quòd ſi hac ratione ſerum alterans medicamentum declares, ſanè & ipſe alimenta ferè omnia declaro alterantia medicamenta: cum aliméta, vt diximus, ſicuti naturæ amica, ita inimica morbo eſſe debeant: *Diætæ*, inquit Hippocrates, *in morbo contrariæ*. 6. Epid. 7.

Ceterùm an antiqui medici, Hippocrates præſertim & Galenus ſero alterauerint, an ſolùm purgauerint, non ratione, ſed obſeruatione indagandum. Apud Galenum nullum, vt vidimus, ſubodorari potuimus locum, ex quo, eum ſero alteraſſe, nobis ſuſpicarari liceat. Celſus nullibi ſero alterat. Hippocrates vbique purgat. Duobus ac triginta locis ſerum meminit, adhibetq; ſemper purgationis cauſſa. De Victus Ratione in Acutis ſeri aſinini, bubulini, & caprini mentio fit ſolùm ad purgãdum. lib. 2. de Mor. Mul. *in fluxu muliebri, & vteri conuulſione*. Ibidem *in capite repleto, & vlceribus impleto*. 2. de Mor, *in febre quotidiana, in morbo liuido, in morbo nigro, pituitoſo, regio, ſiccatorio*. De In. Aff. *in reſiccatione medullæ ſpinalis; in*

Morbo

Morbo craſſo. De Aff. *in morbo articulari, in vlceribus & morbo renali.* De Mor. Mul. *in vteris inflammatis.* Alibi ſemper purgat, nullibi vnquam alterat. Vt verò vniuerſam rem exploratam habeamus, animaduertendum eſt, ſerum ad vnam purgationem ab Hippocrate vſurpatum. Lac verò ad purgationem, alterationem, nutritionem. De ſero conſtat ex citatis alijſq; omnibus locis, in quibus ſola purgationis mentio. De lacte verò ſingillatim demonſtrandum. Et quidem purgationis cauſſa id vſurpatum notius eſt, quàm vt a me probandum ſit: *Aluum lacte aſinæ cocto purgabis*, in Acutis. Sed hoc nimis notum. Itaque ad nutriendum, reficiendumq; debile corpus lac vſurpatum, liquet ex 2. de Mor. in curatione Tabis dorſalis, in qua cum corpus nimia venere propè confectum langueat, bubulino lacte id reficit ac reſtituit. *Bubulinum lac per* 40. *dies bibendum præbito.* Demum alterationis cauſa vſurpatum, conſtat ex 4. Acutorum in curatione torminum, ex acri bilioſoq; humore oriundorum; & in imi

E ven-

ventris æſtuatione præ calore nimio: *Lac aſininum modicum primò, deinde ſenſim facto progreſſu amplius ſumendum*, eadem ratione, qua apud nos in more poſitum eſt ad alterandum. Neque enim hìc purgare poteſt Hippocrates cum *Modicum* exhibeat. Iam verò hi tres vſus, alteratio, nutritio, & purgatio ſimul omnes innoteſcũt ex vno eodemq; loco libri 1. de Mor. Mul. nam in fluxu, in quo excandeſcens acriſq; bilis pudendum exulcerat, ac dolores facit, *Lac bubulum per 40. dies calidum bibendum* porrigit: optimumq; eſſe profitetur. *Nã & purgatur*, inquit, *& nutritur & fluxus obtunditur ab huiuſmodi lacte.*

Tex. 14.

Quod verò adiungis ex Hippocrate, facis parum aptè; & quaſi *Plumbeum gladium ex eburnea educis vagina*, non oppugnas nos Hippocrate, ne vmbram quidem noſtram. Nam ibi ſermo eſt de medicamento ſurſum ac deorſum purgante: aitque Hippocrates aliquando commodum eſſe medicamenta alimentis miſcere, aliquando incommodum; Tu verò exiſtimas Hippocratem loqui

de

de alimento, quod medicamenti etiam vi polleat: vel potius de medicamento, quod ſimul etiam nutrire poſſit. Quæ quàm diſtent ab Hippocratis mente, apertiùs intelligemus ex ipſius verbis paullo altiùs repetitis, *Medicina ſurſum ac deorſum: in alimento medicina optimum; in alimento medicina malum.* Quænam, inquies, cum alimento medicina bona? quænam mala. Bona ſurſum purgans, mala deorſum. nam *Qui graciles ſunt ac debiles a cibo vomant.* nam medicamentum cum cibo acceptum longè faciliùs vomitionem perficit pleno ſtomacho, quàm inani. vnde 2. de Mor. ſibi conſtans Hippocrates *Repletus*, inquit, *vomat*. Quinimo & ijs, quæ deorſum purgant vtile interdum atque adeò neceſſarium eſt medicamentum. nam validum catharticum infirmo ſtomacho non niſi cum alimento tutò committes: at in ſtomacho robuſto fruſtra a cibo retundetur perperamq; hebetatur vis medicamenti. Itaque iurè cum Hippocrate affirmare poſſimus. *Bonum & malum ad aliquid.*

Hippocr. de Sal. Diæta 7.

Hippocr. de Inſom. 6.

Digitized by Google

Serum An verè Catharticum? Hippocratis ſententia hac de re aperta.

CAP. VIII.

Q*VA ſeri menſura veteres vterētur* ſtudioſiùs inquirere, hìc ſuperuacaneum. ex lactis enim menſura id ferme definire licet. Ad ſexdecim vſque heminas, hoc eſt, ad 144. circiter vncias, lac exhibitum apud veteres fuiſſe, ex Hippocratis mox accerſendis locis palam erit. Itaque prætermiſſo quinto libri tui capite, ad ſextum gradum facio: in cuius ipſo limine ſcrupulum offendo, a te mihi omnino euellendum. Vocas in dubium, ſerum an verè catharticum: mox id negas aſſeueranter: aiſque illud vel non per ſe, ſed adiunctorum beneficio (epithymi, aliuſue) melancholiam purgare: vel ſi per ſe, non è longinquo, ſed e ventre ſolùm, vt de abſinthio ſcriptum eſt a Galeno purgare humorem bilioſum. Neutra (dicam libe-

liberè) mihi probatur aſſertio tua . Et quidem vix credere poſſum, tantam humorum copiam, a ſero eductam, e ſola prodire aluo. nam ſi quanta quanta ea eſt, humor eſſet & excrementum, tanta ſanè humorum vis a ſero extrudi non poſſet. Apud vnumquemque enim compertum eſſe puto, ſerum non ſolùm primis diebus copioſum educere humorem, ſed reliquis etiam, ad vigeſimam vſque, eoque amplius, ſi tamdiu exhibeatur. Neque verò *ad partem poſt partem*, tanquam ad ſacram anchoram confugias; quia de rhabarbaro, pluries exhibito, ceteriſq; idem iurè affirmabo. Roſaceum ſolutiuum ſcio te præterea obiectare. Nollem hic, *nouo me includere ludo*: proferam tamen ingenuè, quod ſentio. Roſaceum ſolutiuum ſolam aluum purgare, ij tantùm credunt, qui, aliorum opinioni acquieſcentes, rem ipſam non ſpeculantur. Quotus enim quiſque eſt tam antiquus & ſimplex, qui ſibi perſuaderi patiatur, excrementorum vas, a roſaceo extruſorum, in ſolo ventre contineri, in exilibus meſe-

rei venis? Qui profectò e libris vel tranſuerſum vnguem recedere, crimen maieſtatis arbitrantur. Sed hac de re alibi. Hic verò ſententiam noſtram Hippocratis teſtimonio, etſi genere Coo, pondere tamen auctoritate ac fide planè Attico comprobemus. Libro 2. de Mor. in eryſipelate pulmonis vna tantùm purgatione, qua ventrem primoſq; ductus emundaret, non contentus Hippocrates, aliam adiungit, ex lacte, ſeroquè paratam, qua venoſum genus, corporiſque habitum a bile alioue humore noxio vendicaret: *Huic pharmacum deorſum purgans bibendum dato, & lac aſinæ inſuper bibendum, ſi non natura fuerit ſplenicus: ſi verò ſplenicus fuerit, ne purges neque lacte, neque ſero, ſed eo, quod modicum ingeſtum multum purgat.* Hæc Hippocrates: circa quę velim animaduertas, natura ſplenico (natura, inquam: nam, vt hoc etiam obiter adiungam, niſi natura ſplenicus quis fuerit, tantùm abeſt, vt lac aut ſerum interdicatur, vt potius cōmendetur: *Et ſi ſplenicus fuerit, aſininum lac aut ſerum exhibeto.* niſi tamen

Tex. 53.

2. de Mor. 35.

tex.

tex: mendũ ſubeſſe ſuſpicemur cum Mercuriali & Sallio) animaduertas, inquam, ſplenico, cui prohibitum lac eſt, validum ſubſtitui catharticum. Vnde duo intelligi poſſunt: primum, lac aut ſerum non eo conſilio hic vſurpatum ab Hippocrate, vt vel prioris medicamenti reliquias abſtergens abluenſq; educat; vel vt calorem a calore medicamenti prius exhibiti, aut alio quouis genitum reſtinguat: ſed vt electiuè, vt loquuntur, ac validè purget; cum ſero lactiq; prohibito ſubſtituat *Quod modicum ingeſtum multum purgat.* Alterum intelligi inde poteſt, ab Hippocrate non exhiberi lac, aut ſerum, cum catharticum validumq; medicamẽtum interdicitur, vt ſibi quiſpiam fingere poteſt: cum id, *quod modicum ingeſtum multum purgat*, ſeri vicarium, validum ſit ac vehemens catharticum.

Neque mirum videri debet, in pulmonis eryſipelate, quod, cum inflammatio ſit, vel vnicam reſpuere videtur purgationem, duas ab Hippocrate præſcribi: primò quia non eſt verum eryſipela, vt locum perpendenti clarè innoteſcit.

Digitized by Google

Deinde etiam ſi non ſpurium, ſed numeris omnibus abſolutum eſſet eryſipela, altera tamen purgatio non improbanda, quia ex lacte præſcribitur: quod tantùm abeſt, vt nimium excalefaciat, &, vt Hippocratis verbis vtar, *Sanam partem colliquet*, vt calorem potius reſtinguat. Tertiò quia morbus oriundus eſt ex cruditatibus ac repletione, quæ geminas deſiderat purgationes. Demum quia ab Hippocrate definitum non eſt alterius purgationis tempus: ſolùm ait, bis purgandum, primò deorſum, deinde lacte aſinæ. Cum verò Hippocratis præcepta ſaniori modo intelligere debeamus, vtiq; congruenti tempore, concocto nimirum morbo, altera purgatio, ex ſero lacteue præſcripta, adhibenda videtur. quo tempore vel ardentiſſima inflammatio alteram admittit purgationẽ.

4. Acutorum, & de Veratri vſu.

Quarto Acutorum libro velim attendas paullò accuratiùs febris ardentis curandæ rationem. Primò aquam, & aquam mulſam affatim bibendam ſuadet Hippocrates, deinde vtendum vomitu, mox clyſtere, demum lacte aſinæ co-

cto

Digitized by Google

cto purgandum. Purgandum, inquam, non ventrem, quem clyſtere expiauerat; non ſtomachum, quem emundauerat vomitione; ſed venoſum genus, quod bile refertum, ardentem febrim concitauerat.

Hoc eodem libro perpendenda, quæ de Comitiali ac ſemiſiderato morbo ſcripta ſunt ab Hippocrate. *Medicamentum exhibere ſurſum purgans, niſi alleuetur: ad infernam verò aluum, ſi non ſubeat, infuſum per clyſterem adhibere. Posteà verò lac aſinæ coctum bibendum dato, & non minùs quàm duodecim heminas bibat. ſi verò adſit virium robur* (quo magnã purgationem ferre poſſit) *plus quàm ſexdecim.* Vbi animaduertendnm eſt, ſemeſideratum, & comitialem naſci *ex affluxu atræ bilis, & acrium fluxionum, ſi in ambientes locos inciderint.* (ſunt Hippocratis verba, maxima digna animaduerſione) Ergo exhibetur lac ad atram bilem acreſq. humores purganda ex locis ambientibus. Neque enim nobis fingere poſſumus, ad alterandum exhibitum fuiſſe lac, atque demulciendam huiuſmo-

iuſmodi humorem. quid enim opus fuiſſet & virium robore, & heminis plus quàm ſexdecim?

At video te renuentem hoſce locos, tãquam de lacte, non de ſero loquentes. Ceterùm ſi rem candidè & ſine fuco ſpectabis, quod de altero (quo ad purgationem ſpectat) aſſeritur, ferè de altero aſſeri poſſe fateberis. Lac ſero, ſerum lacti ſæpe ab Hippocrate ſubſtituitur, & alterum pro altero ad purgandum vſurpatur: *Lac aſininum bibendum dato, aut ſerum caprinum decoctum*: & alio loco: *ſi verò non adfuerit ſerum, lac aſininum coquito & exibeto*: & alibi, *Lac aſininũ, aut ſerum bibendum præbito*. Quidquod? Rodericum vt conuincam, Roderico potiùs, quàm Hippocrate vtendum teſte. *Quod de lacte diximus, ſero poteſt adaptari*, ſcriptum eſt cap. 2. eius Cõmentarij Immo verò quæcumque purganti lacti tribuuntur, ſero accepta referenda ſunt. Propter ſerum lac purgat ex Hippocrate 2. de Dictat.

De Morbis.
De Int. Aff.
De Mor. Mul.

Quid tandem his, inquies, quorſum hæc omnia? An vt probent, ſerum eſſe

cathar-

catharticum? Profectò ſi ad conſtituendum aliquod medicamentum catharticũ ſatis eſt; vt ſua,non aliena vi purget, vt non è ſolò ventre,ſed è venis etiam corporiſq; habitu bilem,verbi gratia, proiectet; ſerum catharticum eſſe medicamentum,ratione,auctoritate, experimẽto vel ei probaui,qui *Timone Niceo, nec ſenſui nec rationi credente*, difficilior fuerit aut peruicacior.

Neque a catharticorum albo delendum videtur ſerum, quòd puget omnes propemodum humores, bilem flauam, pituitam ſalſam, vſtoſq; humores: quia *medicamentum vbi corpus intrauerit, primò quidem ducit quod ſibi ſecundum naturam familiare eſt, deinde alia trahit ac purgat* ex Hippocrate de Nat. Human. Quæ verba, licet aliò dirigi ab Hippocrate videãtur, aptè tamen quadrãt ſententiæ noſtrę. nam vnumquodq; catharticum primò quidem familiarem, ſibiq; analogia coniunctum humorem, deinde alium quemuis elicere animaduertes. Exhibito rhabarbaro non bilem ſolùm, ſed pituitam etiam,aqueoſq; humores

miò

imò & melancholiæ portionem eductam videas . Neque ex eo, quòd ſerum *Clementer purget* , ab eodem catharticum albo expungere licet, quia violæ ſero clementiùs , aut æquè clementer purgant, abdicta tamen occultaq; vi , ſi Coſtæo aſſentiendum putamus : imò ſi ipſi Meſue , qui ait *ſiccata ſit Trahendo purgatrix* .

Neſcio quid nutas de epythimo , ſerum purgare innuens certos humores huius beneficio . Candidè, velim , mecum ipſe animaduertas, epithymum non eſſe adiunctũ ſero, quòd hoc non purget, ſed vt purget magis . Quemadmodum enim ab eodem Galeno mulſæ adiunctũ eſt origanum , calamentum , hyſſopum non quòd ea non diſcutiat detergatque , ſed vt citius id pręſtet , valentiùs , faciliùs : ita ſero adiunctum eſt epithymum, roboris ergo , & promptioris facultatis : vt etiam apud Meſuem liquidò conſtat. Quinimmo hac in re tuo te poſſem gladio petere, tuo vtens argumento . Ais cap. 4. ſerum alterare : ſubdis; *Hæc opinio non habet contrarium ſibi Galenum :*

quip-

quippè Galenus veteres dixit ad ſoluendam aluum ſero vſos fuiſſe, nec tamen alios vſus negauit. Hac eadem ratione & ipſe argumentor. Meſues Galenusue vſus eſt ad purgandum ſero cum epithymo, non tamen negauit, ſerum abſque epithymo purgare: neque igitur a te negandum eſt. Sed περὶ κοιλιολυσίαν γίνεσθαι diutius, ſuperuacaneum. Cic. Att. lib. 10. ep, 15.

An Sero inſit Nitrum? Quid ſit, quod in fundo vaſis ſubſidet?

CAPVT IX.

DE eo, quod in vaſe diſtillatorio ſubſidet, mihi agendum hic tecum eſt. Nitrum id eſſe omnino exiſtimo quod prius inerat in ſero. Hoc autem non reddebatur ab eo ante diſtillationem ita ſalſum, quòd nitrum fortaſſe non erat ita ſalſum. nonnihil enim ſalſedinis ex diſtillatione adipiſci potuit, calidum magis ſiccumq; redditum: præſertim verò ſi non vaporario, ſed alio chy-

chymico inſtrumento ſerum diſtillandum committas. Quod enim in fundo vaſus ſubſidet toto diſtillationis tempore, cum ſit diſtillanti igni proximum, magis exſiccetur neceſſe eſt: non ſolùm perenni validaq; ignis actione, ſed etiã ſurſum euolante, a quo perfundebatur, humore. Accidit quòd vnumquodque, e ceteris ſuis partibus per diſtillationem ſeparatum, acrius eſt, efficacius, validius. Quam enim acredinem acutamq; vim in tartari ſale, vini, aceti ſenties? Quam vim experieris in gutta olei vitrioli? quam acrimoniam, quamue aciditatem? Sanè & pannos, ſi imponatur, perforabit aduretque; & ori admota vix ferendam acrimoniam vel aciditatem promet. Quod ſi ſumeres totum illud vitriolum, vnde ea gutta extracta eſt, pannoq: imponeres, aut linguę admoueres; certè neque illum perforabis, neque hãc tanta afficies acrimonia aut aciditate. (nam acidus ne ſit, an potius acris ſpiritus oleumq; vitrioli; ſicuti calidus ne an frigidus, in præſentia diſcutere non licet,) Itaque non eſt cur mireris, ſi nitrũ,

in imo vaſis hærens non vaporarij, magis ſalſum nitroſumq; redderet deſtilla. tum ſerum huic iterum ſi miſceretur.

Sed videamus paullò accuratius, an reuerà nitrum ſit, an potius exuſtus caſeus, vt contendis: videamus mea, tua videamus argumenta. Nitrum eſſe existimo, quod inerat in ſero, primò quia illud huic ineſſe, auctor eſt Meſues, Auicenna, Galenus. Meſues quidem nitroſum appellat capite proprio. Auicenna nitri quippiam vel aphronitri in eo agnoſcit, Galenus ſalſuginoſum eſſe ait. Quinimo experimentum id comprobat, cum eos, qui nitri proprij eſſe ſolent, præſtet effectus, vel te ipſo confitente. Tertiò quia ipſi ſenſui innoteſcit eſſe nitrum: mordet enim cum ſalſedine. Demum vrina, quæ ſanguinis ſerum eſt, proportioneq; reſpondet ſero lactis (etſi, eamdem vtriuſq; ſubſtantiam eſſe, multorum probabilis fert opinio) non mediocrem de huius nitroſitate ſuſpicionem facit. nam ſapore haud abſimili præditum eſt tum extracti ſanguinis, tum emulſi lactis ſerum. immo verò illud,

Lib. 1. tract. 2. 2. Simpl.

illud, per renes & veſſicam in matulam profuſum, nitri ſpeciem, parietibus ac fundo adhæreſcens, refert haud obſcuram. Neque verò conſentaneum eſt, veroq; ſimile, caſeum, vt ais, eſſe, ignis vi excoctum: quia balneum vaporoſum, cui deſtillandum committi debet ſerum, tantùm abeſt, vt exurat, vt, ſi exuſtum prius eſſet, potius humectet. Nobis verò ex arte diſtillatum ſerum in diſceptationem quæſtionemq; vocandum. Præterea ſerum deſtillamus, a caſeo optimè deputatum. nihil ergo huius relinquitur in ſero. Neque nobiſmet ipſis fingere poſſumus caſei partes, tanquam ſubtiliſſimos atomos, in ſeri poros ſeſe inſinuaſſe: quia caſeus, terrea craſſaque lactis pars, vt difficillimè in minutiſſimis illis poris occultus latere poteſt, ita facillimè a ſero ſeparari.

Sed vellem, vt paucis expediamus rem, quæſtionemq; dirimamus. Illa ſubſidentia, craſſior terreſtriorq; ſeri pars, vaporoſa deſtillatione a tenuioribus ſecreta partibus, ſalſa eſt. Hoc palatus, certiſſimus ſaporum explorator, apertè

atte-

Digitized by Google

atteſtatur. Fieri non poteſt, vt is ſapor ignis adurentis ſoboles ſit denuoq; genitus: quia balneum vaporoſum adurere non poteſt, nullo omnino modo poteſt. Ergo materia illa ſalſa inerat in ſero. Iam verò, ſiue nitroſam appellare eam velimus Meſuæ credentes, ſiue ſalſuginoſam credentes Galeno, aut aphronitroſam Auicennæ aſſentientes, aut demum alio quouis nomine eam nominare libeat; ego non laboro. de nomine ſollicitus non ero, dummodo mihi detur, huiuſmodi ſalſedinem non eſſe denuo genitam diſtillantis vrentiſq; ignis vi. Neque mirum videri poteſt, ſaporem ſalſum hebetem, ignauum, & obſcurum in ſero latitare, quia humor inundans eũ retundit & obruit: neque proinde, niſi valde ſalſus ſit, ſeſe promere poteſt: vt accidit in ſero camelino, in quo Auicenna ſalſedinem percepit. Cum verò a retundente humore ſeparatus eſt, integris eſt viribus, maximamq; vim promit, & guſtatui palatoq; clariſſimè innoteſcit. Hæc mea ſunt argumenta, ſi non planè aperta firmaque, tuis certè apertiora & firmiora.

firmiora. Quinimò tu hac in re nudus es & inermis: *ipſo nudor paxillo:* ſolùm aſſeris eſſe caſeum ignis vi excoctum, nulla id probans ratione: quaſi aſſertio ſola firmum ſit argumentum, firma ratio, *Xenocratis teſtimonium*, *Metelli tabulæ*.

Cic. Act. l.1.ep.13. Cic. pro Bal.

Iam verò, quaſi veritate coactus, non nitrum, ſed nitroſas partes in ſero ineſſe fateris; a vero tamen nitro plurimùm diſſidentes: idque colligis ex Galeno dicente, nitroſas partes eſſe ſubtiles (cuiuſmodi, inquis, ſunt ſeri partes) nitrum verò craſſum eſſe ais ac terreum. Sed primò quidem aut nitrum ipſum, aut nitroſas partes ſero ineſſe fatearis. parum laboro: dummodo non caſeum ideſſe concedas. Deinde putas ne ex eo, quòd nitrum ſolidum nulloq; reſperſum liquatumq; humore, craſſum ſit & compactum, eodem modo craſſum eſſe humore perfuſum & omnino liquatum? Profectò nitrum reſperſum liquatumq; in aquam ferè & humorem abit, euaditq; tenue, penetrans, permeanſque, abſtergens, & aperiens. Sed demus, quod contendis, craſſiuſculum eſſe ex

ſe-

Digitized by Google

ſeſe, num tale etiam eſſe putas noſtro corpori? Non ædepol id exiſtimabis, ſi memoria reuoces, quæ ſuperiùs a te ipſo ex Galeni ſententia dicta ſunt. Medicamentorum qualitas definienda non ex ſeſe, ſed *reſpectu eius ad quod dicitur*. Quarè etiam ſi demus, nitrum terreum eſſe craſſumq; cum tamen epotum attenuet, aperiat, detergat, non craſſum; ſed ſubtile vt habeatur, dignum eſt.

Iterum de Seri partibus: quod in Diſtillatione aſcendit, num calidius An frigidius ſit?

CAP. X.

DE tenuioribus ſeri partibus, quæ in diſtillatione aſcendunt, iterum poſtulas Obicium apud Galenum 10. Meth. 9. Sed is priſtina actione noſtra ita euaſit ab tua accuſatione vt te potius condemnauerit Galenus. Itaque de ſeri partibus chymicè ſeparatis non Galeno iudice, quippe tibi ſeuero duroq; ſed ra-

tione ipſa cognoſcente litigemus. Tenuiores, quæ aſcendunt, calidas eſſe opinaris: ego potius frigidas opinor: quod vt innoteſcat, velim, vt ſepoſito tantiſper ſero, roſam deſtillemus, cichorium, abſinthium, calamenthum. Quod ex his abſtrahitur in altum, eſt ne calidius, an frigidius eo, e quo abſtrahitur, roſa, cichorio? Sanè frigidius eſt. non ſolùm enim roſacea & cichoracea tu ipſe ad refrigerandum vteris, quippè frigidis, etiamſi in vtroq; aliquid calores, imò non exiguum ineſſe fatearis, ab eorum amarore victus: ſed etiam calamenthi, abſinthijque; ſi Cardano Montanoq; credideris. Ergo quod aſcendit, frigidior eſt pars rei diſtillatæ. De ſero autem (nam de hoc propria eſt quæſtio. non enim omnia, maximè vinum, in diſceptationem vocari poſſunt) id ipſe negare non potes. nam quæ aſcendit, pars mera, inquis, eſt aqua, nulla vi prædita, acrimonia Galeni, ceteriſq; facultatibus ſpoliata. ergo frigidior erit pars ſeri diſtillati.

Neque verò ab hac philoſophia diſſen-

ſenties, ſi poulò accuratiùs vim diſtillationis, diſtillatiq; conditionem attendas Stilletur exempli cauſſa cichorium: ex hoc quæ in altum abſtrahitur pars, ea eſt, quæ cum tenuior eſt, tum miſto infirmiùs hæret. neceſſe eſt enim, vt quod ſeiungitur a ceteris ſurſum euolans, aptius ſic ad aſcẽſionẽ, promptius ad ſeparationem. Tenuius ergo erit, minùs viſcoſum, compactumque, aqueum magis, ac magis fluidum: quod a Fernelio tenuius dicitur euocatuq; faciliùs. Itaque e cichorio abſinthioue aquoſiores primò in altum abſtrahuntur partes, ac proinde frigidiores.

De phlegmate, ſale volatili & fixo, æthereoq; ſpiritu ſcio quid comminiſcantur Chymici: quos ſicuti hac in re non aſpernor; ita non veneror. Quod faciliùs in diſtillatione abſtrahitur in altum, non eſſe miſti partem, vi non pollere eadem ferè atque miſtum; ſiue huius naturam non redolere, commentum eſt & ſomnium *Hiberæ neniæ*. Quis enim eſt, qui inficietur, feniculi, exempli gratia, diſtillatam aquam oculis non pro-

Digitized by Google

deſſe, lactucæ capiti, cordi florum arantiorum, ſtomacho mentæ, vtero capillorum veneris?

Neque dicas, in haſce aquas, per ſe inutiles, volatilis illius, fixiue ſalis, aut humoris primigenei, ſpirituſq; viuifici, clam nobiſq; inſcijs portiunculam irrepſiſſe aliquam, cui vis omnis, omnis aquæ virtus accepta referenda ſit: quia aquam illam merum eſſe phlegma, hoc eſt, effœtum inutilemq; humorem, incoctum minimèq; ſubactum; neque proinde veram miſti naturam redolere, mera tergiuerſantis Chymici eſſet aſſertio, merum commentum, inane ſomnium. Sed hac de re minùs hic opportunus locus, cum non Chymicis, ſed Hippocraticis, ſcribere debeam: neque proinde in Chymicorum campo latiùs vagari ne, dum

Plaut, Aſinar. a. v. s. a. *Fundum alienum aro, incultum familiarum deſeram.*

Serum

Serum diſtillatum An purget? Infirmiùs ne, An validiùs Alteret? Libauij locus Expenſus.

CAPVT XI.

ITERVM atque acriùs inſtas, vrges, inſectaris Obicium, exiſtimantem, ſtillatum ſerum & infirmiùs purgare, & alterare validiùs. Inſectaris autem his verbis: *Sed porrige ſeri tui deſtillati heminas illas quinque aut plures, quas non deſtillati porrigebant veteres, diſpeream niſi aluum ſoluat.* Iuras ſerum deſtillatum, vberrimè ſumptum, aluum purgaturum. Et iurato tibi, & non iurato credo: quippe probè nouerim, vbertatis id eſſe proprium & copiæ. Thermales aquæ, vel quæ per vrinæ ductus innata quadam vi feruntur, affatim epotæ aluum commouent. De Romanis acidis, extra portam flaminiam ad pontem meluium naſcentibus; deque Nucerina, quæ terra lemnia, aut armeno bolo præ-

dita aluum coarctare potius deberet, re- doctus id affirmo, in meq; recipio. neque enim ſemper χογίατρος εἰμί.

Sed hæc leuia ſunt, neque me diutius dubiè malèq; habuerunt. Libauij verò locus, quem in tuum inſeruiſti commentarium, adeò me torſit, incertum adeò dubiumq; reddidit, vt, quo illum conſilio appegeris libello tuo, adhuc aſſequi, etiamſi intenderim mentis aciem, non potuerim. Tuum in hoc capite cõſilium eſt, de ijs ſeri partibus diſſerere, quæ aſcendunt, quæque ſubſident in diſtillatione, Ais, tenuiores aſcendere, ſubſidere craſſiores. Subdis, eas calidiores eſſe, ac proinde inſcitè ab eo, & ἀνεπιτεχνήτως in febribus exhiberi frigefaciendi cauſſa. Inſtas in eumdem, tenuiores haſce partes non eſſe ad purgandum ineptas, vt exiſtimat Obicius, ſed valde aptas, cum, vt ais, *Tenuitate abluant, detergant, repurgent*. Demum accerſis Libauium, quo conſilio, obſcurum mihi ac planè ignotum. Obicium alloquens, hęc habes: *Sed ſi propius ad deſtilationem accedere cupis, conſule ſpagiricæ artis peri-*

peritos, inter quos optimum locum occupat Andreas Libauius, qui de ſero ſic loquitur; ſic ergo(ſunt verba Liberarij) *in tres partes diremptum lac eſt; nempe aëream, cum qua eſt & ignea, quæ ſeparari poteſt deſtillatione: poſtea aqueam, ac tandem terream, quam caſeum vocãt, ſicuti aquam ſerum. Iuxta* (ſubiungit Rodericus) *huius auctoris ſententiam id quod prius in deſtillatione egreditur, proprie ſerum dici nequit, ſed dicitur ſubſtantia aërea atque ignea: ſecundo loco ſerum conſpicitur, vltimo tandem relinquitur pars terrea, ſeu caſeoſa.*

In ſalebris tuæ orationis hæreo, ac vehementer animi pendeo, quorſum tu cum Libauio, quorſum tua eiuſq; verba dirigantur. Verba Libauij, ſi per ſe attendantur, aperta ſunt, omnino aperta: ſi conferantur cum tuis omnino obſcura. Ea tantùm ſibi volunt, tres eſſe lactis partes per coagulum ſeparandas, aërẽa, aquam, terream. Vnam verò, quæ ignea eſt, ſeu igni proportione reſpondet, ſola diſtillatione ſeparabilem. Hæc ſecuti vera ſunt, ita ad rem tibi propoſitam planè inepta.

inepta. neque enim quæ antea, neque quæ poſtea a te ſcripta ſunt, aut probare, aut fulcire, aut alio quouis modo illuſtrare potes Libauij loco.

Sed eſt, Roderice, cur a te veniam petam oſcitantiæ meæ. Aperta ſunt tua verba, aperta mens. Ais, Libauium aſſerere, quod primo ex diſtillato lacte elicitur aëream eſſe ſubſtantiã igneamque; quod deinde, ſerum eſſe; quod demum, eſſe caſeum. Libauius lac diſtillat? ſeiungit lactis partes diſtillatione? Immo verò alio quouis modo ſeiungit, præterquam diſtillatione. Diſcrepant omnino opiniones noſtræ: non verbis modo, ſed vniuerſa re, ac tota ſententia a te diſſentio. Et vt diſſentionis meæ rationẽ habeas, Libauij conſilium hìc perſtringam: idq; eò libentiùs, quòd non vulgarem doctrinam, contritamq; philoſophiam contineat.

Cicero 1. Diuinat.

De reſolutione per coagulum (ſic enim inſcriptum caput eſt) agit Libauius, hoc eſt, de ratione lactis per coagulum ſeparandi: tresq; proponit modos, quibus natura ab inutilibus vtilia, pura ab impuris,

Digitized by Google

puris ſegregare conſueuit. Primum violentum per ignem: alterum putrefactorium per calorem extraneum: tertium fermentatorium per principium intrinſecum. Tres hoſce modos, a natura, *nullo edocta magiſtro*, repertos, ait Libauius, *Placuiſſe arti*: ac proinde hanc excogitaſſe inſtrumenta, veramq; rationem naturæ actionem æmulandi. De putrefactionis, violentiæq; per ignem imitatione cum ſuperiùs egiſſet, proſequitur modò fermentationis naturalis imitandæ rationem. & affert exempla, de naturæ quidem fermentatione, ſeu efferueſcentia in muſto: de artis verò in lacte. Nã ſecuti in illo intrinſeco quodam naturæ motu efferueſcunt ita partes ac fermentantur, vt puræ ab impuris, tenueſq, ſecedant à craſſis: ita in hoc æmulantis artis adminiculo (coàgulo, alioue) butyrum a ſero, ſerum a caſeo, caſeus ab vtroq; facillimè ſecedit. Iam verò ex tribus hiſce, quattuorue lactis partibus, quattuor elementis proportione comparationeq; ſimilibus (nam in butyro, aëri conſono & affini, igneam ineſſe lactis Hippocr.

par.

partem, cenſet Libauius) terream & aqueam non ſolùm coagulo ait ſecerni poſſe, ſed etiam elixatione, ſimpliciq; quiete: pondere nimirum deſcendente caſeoſa terreaq; parte, aquea & ſeroſa inundante. Aëream vero ſeu butyroſam ſola quiete vix ab reliquis, ait, ſecedere; ſiue vix cogi & concreſcere. ac proinde opus eſſe agitatione & motu, per quem diſſipato ſpiritu, cuius opera liquatum butyrum erat ac diffuſum, cogatur, & concreſcat. Iam verò ignea, quæ butyro hæret, lactis pars, nullo ex his modis aut cogi aut ſeparari poteſt a reliquis, vt ait Libauius: neque coagulo, coctione, aut quiete, vt aquea terreaq; pars, neque agitatione motuq; vt aërea, ſed ſola deſtillatione, chymicaq; induſtria & adminiculo. *Sic ergo in tres partes diremptum lac eſt, nempe aëream, cum qua eſt & ignia, quæ ſeparari poteſt deſtillatione, poſtea aqueam ac tandem terream, quam caſeum vocant, ſicut aquam ſerum.* Tu verò quàm latè vages, quàm aberres a mente Libauij, iam notiſſimum eſt. Tu ais, Libauium

lac

lac diſtillare. At Libauius tantùm abeſt, vt id diſtillet, vt diſtillandi artem ab eo capite longiùs arceat; ſoloq; coagulo, coctione, aut quiete illud ſeparet ac ſeiungat. Tu ais, quod primò deſtillatione elicitur propriè ex Libauij ſententia ſerum non eſſe, ſed partem aëreã. At Libauius, neque propriè, neque impropriè aëream partem ſerum eſſe ait (nam aqueam lactis partem ſerum eſſe dixit) ſed eſſe florem lactis, cremoremq; ſiue, quod idem eſt, butyrum. Contra verò, Libauius ait, igneam, quæ in butyro eſt, lactis partem non niſi deſtillatione ſecerni poſſe. Tu autem eius mentem non aſſequutus, eius mentem confundis.

Sed de Quercetani loco ſatis mirari non poſſum: quo conſilio eum appegeris libello tuo, aſſequi nullo modo potui. non enim connexa eſt Quercetani ſententia cum ſententia Libauij, non cũ inſcriptione capitis, non cũ ijs, quę præcedunt, non cũ ijs, quæ cõſequũtur, cũ conſequãtur nulla. Itaq; de Quercetani idẽ quod de Libauij loco dicam; Apertam

eſſe

eſſe eius ſententiam, ſi per ſe ſpectetur; obſcuram, ſi cum tuis verbis totoq; capite conferatur: neque magis ad rem facere, quàm Homeri locū de bello Troiano.

Quod facit ad vim diſtillati ſeri (præpoſterè, ſed tamen coactus, ſatis promiſſo, receptoq; facio) infirmiùs id purgare, alterare validiùs ex diſtillationis vi, ſeriq; partibus innoteſcit. Cum enim ſero nitrum inſit ex Meſue, ex Galeno ſalſuginoſum quippiam, aliquid aphronitri ex Auicenna, vtique hæc ſi adimantur diſtillatione, præcipua purgandi facultas adimitur, cum incidendi, attenuandi, irritandi, extergendi, attrahendiq; vis aboleatur, aut ſeparetur. Adimi autem, & ſeparari poſſe, ne Timon quidem Nicæus, qui fidem ſenſibus abrogauit omnem, negare poteſt. Quod enim ſurſum aſcendit, ſerum neque ſalſum nitroſumq; neque acre guſtatu percipitur. Quod verò ſubſidet, ſalſum ac nitroſum palatus ſentit. Quarè acrimonia nitroq; ſpoliatum ſerum magna ex parte, vellicandi, ſtimulandi, irritandi, attrahendique vim exuet potiorem: ſolùm aut præci-

puè

puè abluendi, quam ab humore habet, facultate relicta. Neceſſariè igitur infirmiùs purgabit. Quòd verò alteret, refrigeretq; validiùs, ex eodem patet argumento. nam e ſeroſo humore demptis ſalſis, acribus, calidiſq; partibus, frigefaciendi in eo vis multò validior; cumq; tenuius ſubtiliuſq; euaſerit, ſeſe faciliùs in omnes corporis partes inſinuabit. Ἐμπύρευμα, inquies, ei ex diſtillatione acceſſit. Mendosè. nam ex arte diſtillato ſero partes nullæ, nullæ qualitates accedunt calidæ. Sed περὶ ἐμπυρεύματος capite 13. & 16.

An Serum Hecticæ oportunum? Galeni locus Examinatus.

CAPVT XII.

SERVM an febribus ſit commodum, diſceptas 9. libelli tui capite. & de hectica quidem id omnino affirmas, annuente, vt ais, Galeno 10. Meth. 11. vbi aſininum lac hecticis ait eſſe opor-

Digitized by Google

oportunum. Oportunum autem, inquis, quia ſeroſius. ergo ſerum, ais, hecticæ oportunum. Acutum ſanè & ſubtile argumentum, quod ego verum vellem. Ceterùm veritatem indagans ſubtilitatem ſubtilitate compenſo. Galenus lac aſininum, quod ſeroſius eſt, magis commendat hecticis. Eſto: ſed non propter ſerum, adeò vt humor ille hecticis ſit oportunior; ſed propter humiditatem eius lactis maiorem, maioremq; frigiditatem. Quod vel ex eo patet, quia alioquin camelinum lac æquè probatum à Galeno eſſet, ac aſininum: æquè enim ſeroſum eſt ex lib. de Bonit. & vit. ſuc.
Cap. 4. licet calidus ſicciuſque. Ergo non ſeroſitatis, vt ita loquar, ſed humiditatis ac frigiditatis rationem habuit Galenus: & quidem merito, cum *Totum curationis momentum in refrigerãdo humectandoq; conſiſtere*, exploratum ſit apud eumdem
Lib. 10. Method. lib. cit. cap. 10. Itaque formalis ratio, vt more recentiorum philoſophorum loquar, cur lac aſininum in hectica ceteris præferatur, humiditas eſt & frigiditas. Quòd ſi haſce qualitates lac haberet

abſque

Digitized by Google

abſque copioſo ſero, hoc hecticis non eſſet opus. Itemque non licet ſic ratiocinari, ſeroſius lac a Galeno commendatur hecticis, ergo ſerum ipſum commendatur. licet ita quidem, ſeroſius lac, quod frigidius humidiuſq; ſit, commendatur hecticis (nam, vt ex Galeno dixi, totum curationis momentum in refrigerando humectandoq; conſtitit) ergo frigus & humiditas commendatur.

Illud tamen animaduertas, velim, lac aſininum non eſſe frigidius, quia ſeroſius: odeò vt a ſero frigus mutuetur; ſed econtrario, ſeroſius eſſe, quia frigidius: adeò vt ſerum ex frigore, non frigus e ſero naſcatur. ex frigidiori enim animali lac frigidius gignatur oportet: ac proinde ſeroſi humoris vbertas, & copia.

At verò vis ne apertiùs intelligere, ea, quæ dixi, hoc ſeſe habere modo? Hecticam perpende, perpende lac. Illa calidum eſt, ſiccumq; intemperamentum: atque ita calidum & ſiccum, vt partes ſolidæ exaruerint, ac ferè exſuccæ contabeſcant. Quarè duplex maximè ſcopus in hectica ſpectandus eſt, alter in-

temperamento, in quo morbus ſitus eſt, alter maciei, præcipuo & maximo illius effectui, ac periculoſo infeſtoq; ſymptomati, propoſitus. Itaque medicamentum ad hæc opportunum huiuſmodi eſſe debet, vt humectans ac refrigerans facilè, multùm, citòq; nutriat (non enim hìc ſolam intemperiem ſpectamus, cuius totum curationis momentum in refrigerando humectandoq; conſiſtit: ſed maciem prætereà ac tabeſcentiam, cui lac etiam dirigitur.) Nihil ergo lacte accomodatius, quippe frigidum humidũq; eſt, firmè adhæreſcit, facilè nutrit vel ipſius affinitate naturæ. Aſininum magis frigidum, minùs nutrit: vaccinum magis nutriens, minùs frigidum eſt. Illud intemperamento accomodatius, hoc opportunius maciei. Quòd ſi hoc illius haberet cum frigiditatem, tũ humiditatem, etiamſi minori præditum ſit ſeri copra..., omnium tamen oportuniſſimum, his ſaltem ſpectatis, cenſendum eſſet. Patet ergo ex hac ratiocinatione, ſerum, aut ſeroſum lac, vt ſeroſum eſt, nullius ferè commodi eſſe hectica laborantibus ſiue
non

Digitized by Google

non ea de cauſſa extolli præferrique a Galeno.

Ceterùm audio, qui obijciant illud Ariſtophanis in Ran.

Apertius mihi loquere, atque indoctius.
mea nimirum verba præ eorum caligine & aſperitate non aſſequuti. hecticamq; ſpectandam eſſe dicent, vt calidum eſt, ſiccumq; intemperamentum, non verò vt tabe macieq; abſumpſit & confecit corpus: & hac ratione ſeroſius lac opportunius eſſe, hoc eſt, ſerum ipſum. nam, vt ſuperiùs ex Galeni ſententia dictum eſt, in hectica curanda eo cogitationes dirigere debemus, vt calorem & ſiccitatem humiditate ac frigore corrigamus. Duo velim probè teneas: alterum lac aſininum non ad ſolam calidam ſiccamq; intemperiem corrigendam a Galeno exhiberi, ſed ad collapſum tabe nimia macieq; corpus reſtituendum, cum in victus ratione præſcribatur. Vnde престереà clarè innoteſcit, Galenum in exhibendo lacte aſinino, ſtudioſè nõ ſpectaſſe humorem ſeroſum. quippe minimè oportunum ad nutriendum reficien-

ciendumq; emaciatum corpus. Ergo non exhibetur aſininum lac, quod feroſius eſt, quia ſero opus ſit. Cur igitur? primò quia magis frigidum humidumq: deinde quia minimè omnium in ventriculo cogitur, & concreſcit. adeò enim pertimeſcit coactionem Galenus, vt mel, ceteroqui infenſiſſimum hecticis hoſtem, lacti miſcendum præcipiat.

Alterum velim probè teneas; ſeroſius lac oportunius eſſe, quia frigidius humidiuſq; (ad tuam non ad Galeni mentem nunc loquor) ergo formalis ratio, vt περιπαθητικῶς loquar, cur præferatur, humiditas eſt & frigiditas. Itaq; licet ita quidem ratiocinari, Seroſius lac hecticis magis commodum (vtpote magis frigidum humidumq;) ergo frigiditas & humiditas magis commoda. Non verò ita, Seroſius lac opportunius eſt, ergo ſerum opportunius. Iam verò ſi ne modò quidem me, qui obijcit, audire velit, a meorum aſperitate obſcuritateq; verborum in eius oſcitantiam culpam deriuabo: & iurè deriuabo, cum hæc mea nō ſint aut *Teucrum Pacuuij*; aut πρόβλημα ἀρχιμήδειον,

Cic. 1, de Or.
Cic. Att. lib. 13. ep. 28.

An

An Serum alijs febribus præſertim acutis Vtile? Ἐμπυρεύμα: potatum Serum An nitroſius Euadat? Conciliatori, & Math. de Grad. Expenſa loca.

CAP. XIII.

HIppocrates ne lac quidem in febri ardẽte recuſat adhibere. Galenus ſerum apertè commendat, tanquam innoxium, imò omnino vtile ac ſalutare, nullum in eo vitium perſpiciens, quo nos afficere poſſit. Quæ verò tu conſpicere videris, neglecta fuerunt ab eis tanquam innoxia. Neque neceſſitate coacti, vt videris obijcere, hoc eſt, mitiorum medicamentorum inopia lac aut ſerum vſurparunt, quia non pauca æquè leuia habuerunt ad purgandum medicamenta & idonea, & innoxia, mercurialem, epithymum, maluam, betam, braſſicam, aloen, cartamum cetera.

De nidore, quod addis, aciditate, & corruptione facis parum aptè: nam in-

ſtomacho aut bile referto, aut æſtuante præ calore nimio, aut alio non mediocri vitio laborante id fortaſſe accidet. Quòd ſi nullo ex his malo ſtomachus affectus ſit, vt ſæpe ſolet in febribus, in his certè commodum erit ſerum, opportunum, ſalutare. Quinimo cum Hippocrates in pulmonis eryſipelatoſo affectu, cum acuta febre conjuncto, in æſtu nimirum vniuerſi corporis, ad lac, ne dum ad ſerum confugit, quo tantum reſtinguat ardorem; &, ſi opus fuerit, effrenatam bilem compeſcat, excandeſcentem demulciat, noxiam euacuet: non eſt, cur tu in mitioribus morbis, in lenioribus febribus illud dãnes, & improbes. Times aciditatem & flatus. Facilè timorem, ſi patieris, tibi abſterget Hippocrates, qui lac exhibet acidum eructanti, ac vomenti, ventre murmure ac torminibus dolenti, vt videre eſt 2. de Mor. de Int. Aff. alibi.

Sed quid multis opus eſt? Meſues commendat ſerum in febribus a bile putridis. Hippocrates idem adhibet in tertiana duplici, quotidiana ab eo dicta

(nam

(nam Hippocratis quotidiana Galeni duplex tertiana eſt (duruiſculum id, difficileq; creditu videbitur ei, qui, Galeno mancipatus, Hippocrati ſalutem dixerit). Neque video, cur damnari aut poſſit, aut debeat ſerum in febribus, cum frigore febrilem calorem reſtinguat, deterſione obſtructiones aperiat, purgandi facultate humorem noxium euacuet. Ceterùm, Roderice, admirer hic, neceſſe eſt, tuam ἀντιλογίαν. Quibus in febribus Hippocrates & Galenus vtile ſerum eſſe profitētur, in ijſdem tu inutile noxiumq; prædicas. In quibus illi aut idem comprobant apertè, aut ſubobſcurè renuunt, tu id maximè probas, apertiſq; verbis commendas. In hectica febri neque Galenus vnquam, neque Hippocrates ſerum laudauit: tu in eadem ſummis illud laudibus extollis. In alijs febribus non paucis ijdemmet ſero vtuntur: tu noxium idem, pernicioſumq; declaras. Profectò ne *Ariſtoteles* quidem tam *inſensè Iſocrati æmulo aduerſatus eſt*, quàm tu Hippocrati Galenoque præceptori.

lib. 2. de Mor. lib. de Nat. Hom. l. 27.

Cic. in Orat. Cic. 3. de Orat.

Digitized by Google

Iam verò ab Hippocratico ad hermeticum forum litem transfers. accuſas Obicium poſtulatione apud Chymicos delata. diſtillatum ab Obicio ſerum empyreuma adeptum eſſe contendis, hoc eſt, calidas quaſdam acreſq; qualitates, igneasue particulas: quaſi proprium diſtillationis ſit, partes indere calidiores. Ceterũ cõtẽtus eſſe potuiſſes cucumeris aqua, nymphea, lactucæ, quas nullum ex diſtillatione acquirere empyreuma, tam certum eſt, quàm quod maximè. Imò ſcias velim empyreuma naſci ex valido igne, ex diuturna ad ignem mora, ex materiæ, quæ ſtillatur, conditione, ex modo rationeq; diſtillandi. Etenim ſi rem quampiam ſucciorem calidioremq; nudo validoq; igni, diuturno tempore committas; certè ignis vi nullo humore temperati, diuturna mora, materiæ conditione calidæ quædam huic exhalationes aut qualitates adnaſcentu r quibus calidior acriorq; reddatur. Vnde in quintã ſulphuris eſſentiã, antimonij, vitrioli ex valido igne ac diuturno, modo diſtillandi &c. empyreuma inſeritur. In

ijs

ijs verò, quæ blando moderatoq; igni, nempe vaporario inſtrumento temperato, diſtillanda committuntur, nullum empyreuma naſci poteſt. ſi enim balneo maris, vt vocant, ſerum alium ve humorem diſtilles, nullum planè empyreuma his impertieris. nam paulatim ac blandè ſurſum repunt tenuiores partes, ſubſidentibus craſſioribus nulla ignis vi aduſtis aut ſalitis. Hinc eſt, quòd coagulum magis reformidandum ſit, quàm chymica diſtillatio. nam certo certius ſcimus, coagulum (præſertim caprinū) ſi miſceamus lacti, ſeroque calorem adiungere: nitroſas verò partes ſi per diſtillationem ſubripiamus, calorem adimere.

Ceterùm video te, quaſi *extrito puluere*, iterum in Obicium ingruere Σὺν δορὶ, vt ait Ariſtophanes, σὺν ἀσπίδι, Conciliatore nimirum & Matheo de Grad. qui aſſerunt potatum ſerum ex interno corporis calore calidiorem quemdam ac nitroſiorem induere qualitatem. Ex quo tu multò magis inquis induet ex deſtillatione. Hac in re non tergi-

giuerſabor,non effugiam vim,ſi quæ eſt, argumenti tui: Εἶεν, rata ſint, omnino firma, quæ infirmè a Conciliatore mutuaris. An proinde putas,nos ijs oppugnare? putas expugnare? Ne ſim, ſi eminus, ne dum cominus nobiſcum pugnas. *Lactis aquam in penetratione viſque ad pulmonem & pectus recipere a membris noſtris quandam qualitatem nitroſam merito ſuæ paſsibilitatis*. Hæc de non ſtillato ſero ſcripta ſunt a Conciliatore, vel potius de non ſtillando., non verò de ſtillato. nam hoc aliter ſeſe habet. Vulgare ſerum ideò adipiſceretur a calore noſtro nitroſitatem,quia aptum id,accomodatum,ac ſymbolum. Quod enim nitroſum eſt, nitrum ve non exuit nitroſius facilè euadit, *Merito ſuæ paſsibilitatis*,& aptitudinis. Diſtillandum verò ſerum,cum nitrum deponat, ſymboleitatem(fas ſit loqui)amittat neceſſe eſt,atque adeo *Paſsibilitatem*.

Iam verò qui tantum Conciliatori tribuendum exiſtimant (neque enim eorum ſententia mihi probatur) vt rata, quæ de ſero ab eo ſcripta ſunt, eſſe velint

lint, mihi declarent, quomodò calorem noſtrum ſero nitrum tribuat? vnde huiuſmodi uis caloris natiui? aut ſi huiuſmodi, vnde eam norunt? vnde expiſcati ſunt? An quiſpiam *Curator viæ Appiæ*, qui *Annæo Senecæ quid ageretur in cælo euulgauit*: an *Menippus* aliquis, qui *Luciano Deorum ſecreta palam fecit*, ijs illam aperuit? *Vult ſibi quiſque credi.* Laudo: ſed tamen neque hos, neque Conciliatorem Medicorum Pythagoram eſſe concedo. Strada Prol. in Momo. Liuius l. 23.

Serum ſereno aëri commiſſum An Efflet, emittatq; calidiores partes. Multa de Expreſsione, frigido aëre, vino algente.

CAPVT XI.

AQVA & igni interdicis Obicio, a Medicorum vniuerſitate eum exſulare iubes, quaſi Maieſtatis crimen patrauerit ſerum, aſſerens, vt exuat calidiores partes Chymicorum officinæ, de-

deſtillationi committendum. Longè aliter, inquis, apud pręſtantiſſimos medicos in more poſitum eſt. Non igni, vt Obicius, ſed frigori ſerenoq; aëri ſerum, vt calidas emittat partes concredere conſueuerunt. nam ambientis frigoris vi abeunt calidæ ſeri partes per expreſſionem extruſæ. Ceterùm vix fieri poſſe arbitror, vt tenues euolent e ſero partes vndiquè frigore obſiſtente. Immo introrſum compellantur, occludantur denſentur, exituq; clauſis poris prohibeantur, neceſſe eſt. Opportunius ergo meo quidē iudicio calidiuſculo aëri ſerū cōmittes, vt tenues eius partes euolent. nā calore rarefacta ſubſtantia faciliùs nullo prohibente euolare poſſunt. Accedit, quod Galenus (experimento id comprobante) lac faciliùs æſtate, quàm hieme,
4. Simpl. 15. hoc eſt, calido, quàm frigido aëre in acidum verti apertè profitetur. Aceſcit autem, vt ais, tenuioribus partibus expirantibus.

Sed de expreſſione, ſiquidem anſam præbes, qua e ſero tenues atque, vt ais, calidæ partes expirant, tecum paulò accura-

cura-

curatiùs diſſerere, conſilium eſt. De hac ita ſentio. Cum aliquod humore madidum, a frigore obuallatur, alterum ex his accedat, neceſse eſt: vel vt ipſum in ſeſecogat, ab inimico frigore refugiens, vel vt frigus obuallet, obſideat, circundetq; illud, & obſtringat. Quouis modo id fiat, facilè exprimitur inde humor elabiturque. Sed ne putes, meum id eſſe aut commentum aut ſomnium, audi Hippocratem de Locis in Homine, *Fluxiones fiunt & perfrigerata valde carne, & excalefacta. Fluxiones propter frigus fiunt, cum caro in capite, aut venæ tenſæ fuerint. hæ enim horrente carne & ad anguſtias perueniente adſtrictaq; & excludente humiditatem exprimunt & ſimul carnes ipſæ exprimunt.* Cum igitur ita ſeſe habeat expreſſio, velim ipſe mihi declares, quanam ratione ab ambiente frigido poſſint e ſero exprimi tuæ illæ tenues partes? In capite, aut non abſimili parte facilè id fiet: cum hoc humore plenum, a frigidoq; ambiente coarctatum introrſum humorem cogat exprimatq; neceſſariò. At ſerum a nocturno

fri-

frigore alioue obuallatum, vnde nam, quaue ratione tuas illas exprimet tenues partes? Ex ore vaſis? Minimè gentium. Frigidum enim circumſtans & occludit meatus poroſque, & introrſum tenuiores partes compellit. Non ergo elabi poſſunt exprimique vndique obſiſtente frigore.

Neque dicas, vinum efflare ſpiritus & euaneſcere, ſereno frigidoque aëri cōmiſſum: primò, quia longè faciliùs efflantur tepido, quàm frigidiuſculo aut ſereno aëre. Meminiſſe debes, quæ ſuperiùs ex Galeno diximus de lacte ac ptiſſana, faciliùs æſtiuo, quàm hiberno tempore aceſcentibus: atque adeò *frigidiuſculis ædibus, vt diutius ſeruentur, opus habentibus*. Secundò, quia vini ſpiritus adeò ſubtiles ſunt adeò tenues, vt nonniſi vi quadam in humore ſuo cohiberi poſſe videantur. proprio enim impulſu promptè euolant, niſi probè cohibeantur. Frigus autem tantum abeſt, vt eos exprimat omnino extrudatq; vt introrſum potius compellat & occludat. Argumento eſt vinum niue refrigeratū:

cuius

Digitized by Google

cuius ſpiritus ita coarctati ſunt ac retuſi, vt guſtatui non ita ſeſe promant, atque dum niue non algent. Non eſſe autem abolitos niualis frigoris iniuria, ſed verè coarctatos, interiuſq; cōpulſos & obtuſos, ex eo liquet, quòd non ſecus caput petat inebrietq: vinum niue algens, ac dum nullo riget frigore. Non euolarunt ergo vini ſpiritus frigore expreſſi, ſed introrſum coarctati latitabant.

Illud tamen veriſſimum eſt, a maximo gelìdiſſimo, ac perpetuo frigore quandoq, fieri expreſſionem, vt accidit in frigida diſtillatione: nimirum efficaciore tum frigore ad exprimendum, quàm ad occludendum.

De vino illud addo, ex eo algente nuſquam videas ſubſultare atomos, a ſpirituum vi ſurſum pulſos, vt e vino nō algente: nimirum quia a niue & ſpìritus coarctati ſunt interiùs, & occluſi meatus, denſataque ſubſtantia. Ridebis hæc non ſecus atque *in diuitÿs Cræſi teruncÿ acceſſionem*. Sinam, cum probè nouerim, *Non omnia eadem æquè omnibus ſuauia eſſe*: nec *Iouem ipſum* Cic. 3. de Fin. Plaut. Aſinar. a. 3. s. 3. Teong. in Sent.

omni-

Symmachus. *omnibus placere;* ſed ſatis eſſe, *placere meliorlbus.*

Rurſus ſtillatum ſerum, Aquæ, Empyreuma. ſerum ſtillatum An verè ſerum?

CAP. XV.

VIGOR hauſturus Latium, ſi cetera Martis
Adiumenta forent.

Silius lib. 16. de Hannib.

Planè contriuiſſes Obicium, funditus deleuiſſes, ſi vis reſpondiſſet animo, reſpondiſſet auſo. Conatur Obicius diluere, quæ contra ſeri diſtillationem afferri poſſunt: & empyreuma infirmare conatur exemplo deſtillatæ lactueæ, nymphęæ, cucumeris; quæ in alembico calorem nullum, nullum empyreuma adipiſcuntur. Acriter inſtas aduerſus hæc, vanam futilemque eſſe dictitans comparationem ſeri cum nymphęa: cum hæc quanta quanta eſt, frigida ſit: ſerùm verò non exiguam habeat caloris partem. Quarè hoc non, vt illa, poſt diſtillationem

tionem in eadem frigoris conditione, perſeuerabit, ſed paullò calidius, quàm antea, euadet. Sed hæc tua ratio *Lari ſeu Ceppbi parturientis* ſimilis eſt. Intelliges id profectò, ſi, tātiſper ſepoſita nymphęa, lactuca, cucumere, cichorium deſtilles, roſam, opium, cetera, quæ licet frigida ſint, partes tamen calidas, vt tuum noſtrumq; ſerum, aliquas habent. Aquæ ex his extractæ ſunt ne calidæ? Depoſuerūt profectò calorem in alembico, cum depoſuerint eas partes, in quibus inerat amaritudo. Idem de ſero ſenties. Exuit & hoc eas partes, quibus hærebat amaror, ſeu potius ſalſedo. Guſta, niſi credas, ſtillatum ſerum, guſta non ſtillatum: non quidem Anaxagoræ imbutus opinione, qui, vt auctor eſt Cicero, ſenſuum iudicium negabat; ſed peripatetica veraque philoſophia, quæ ſenſibus ſummamq; fidem tribuit.

Ariſtophanis in ſpres.

Cic. 4 Academ

Iam verò alio ſtipatus argumento iterùm petis Obiciū. Serum, inquis, ſi calidas acreſq; deſtillatione amiſit partes, pura erit aqua, nulla vi, nulla præditum virtute. Hanc rationem, quam docti qui-

dam, & ſanè docti viri quaſi *ex tripode dictam* exiſtimant: ego (liberè loquar) τὸ Διὸνος γεῦ refellendã puto. Sed vt argumentum argumẽto conuincam, bettonicæ aquã oppono, endiuiæ, eiuſue radicis cichorei ceterorũ huiuſmodi. Nõne horum diſtillatæ aquæ exuerunt ſaporem ferè omnem odorem, ſi qui erat, amaroremque? Senſu iudice exuerunt. Ergo hæ puræ ſunt aquæ? Apage. Tu ſanè alijs omnino de cauſis aqua bettonicæ & endiuiæ, atque pura pura vteris.

Zenotodus

Sed accuratiùs hic inquirendum, An ſtillatum ſerum ſerum ſit, verè ſerum. Duplex ſit argumentatio: altera aduerſus te, ſero nitrum eripientem, altera aduerſus eos, qui vel vberrimum ſero nitrum impertiuntur.

Te vt refellam, non eſt, cur admodum laborem. nam diſtillatione, vt ais, caſeoſæ tantùm partes ſeparantur. quod enim ſubſidet, caſeoſæ, inquis, ſunt miſtæ ſero partes. non ergo ſerum. quicquid ergo ſurſum euolat, ſerum eſt. Cauillaberis fortaſſe hæc, inquiens, neque id ſerum eſſem, ſed humorem, a ſero natum, a ſero om-

omninò diuerſum. Quæro liquor hic eſt ne nouum miſtum, nuper natum diſtillationis vi: an idem, quod prius, purius tamen, atque ſubtilius tenuiuſque? Primum caue afferas,

Vulneri vti ne quis vulnus tibi forſitan addat Homer. 1. Iliad.

nam peruertes ſpagiricam artem, Hermeticorum pharmaca funditus euertes. Si nouum eſt miſtum, veteris corruptionem præceſſiſſe neceſſe eſt. ergo, prioribus abolitis qualitatibus, poſteriores recenter genitæ ſunt. (nam agens ſicuti propriam nequit in ſubiectam ſibi materiam introducere formam, niſi qualitates prius, tanquam prodromos, præmittat, inſeratque penitus in eam; ita non poteſt eius formam labefacere, niſi prius eiuſdem qualitates deleuerit. Immo verò vt ijs dirutis, miſti forma, totumque miſtum ſtatim corruit, ita ijs ſtantibus, fieri non poteſt, vt concidat forma, miſtumq; diruatur). At ſcimus, eaſdemmet permanere; ſenſu iudice, experimentoq; teſte ſcimus. Permanent, inquies: ſed e miſto migrant in, miſtum, communis

ſubiecti beneficio. Mendoſè. nã accidẽtiũ migratio & quaſi ſaltus e miſto in miſtũ, ab altero in alterum ſubiectũ inſenſè aduerſatur Peripateticorũ dogmatibus. Qualitates, abolito miſto, deletaque forma, earum ſeminario, penè omnes corruere & ſtatim interire, vel ij norunt, qui a limine Lyceum ſalutarunt. Immo verò, ſi qualitates agentis vi deletæ non ſunt, fieri non poteſt, vt deletum ſit miſtum ad reſiſtendum propulſandamque actionem multò aptius multoque fortius. Si ſeri qualitates diſtillatio non corrumpit, neque ſerum corrumpet: nã hoc non magis, quàm illæ, contrarium & inimicum eſt igni diſtillanti. Immo ſi hoc contrarium eſt, ijs intercedentibus maximè contrarium. Præterea ſi nouum ſemper miſtum diſtillatio generaret, idẽ ferè ſemper miſtum generaret. Patet, quia idem ſemper eſt agens, eadem ſemper agentis vis, eædem ſemper qualitates ac diſpoſitiones inducuntur in quodlibet, quod diſtillatur, ſubiectum. Neceſſariè igitur idem ſemper naſcetur miſtum.

Va-

Digitized by Google

Varietatem fortaſſe acceptam referes miſtorum varietati, quæ igni diſtillanti committuntur. Caue: nam ignis ſi generat, ignem ſemper, aut ferè ſemper generat. Particularis hic cauſa eſt, non vniuerſalis. Sol ſolus, aut ferè ſolus varia gignit, herbas, plantas, raras, mures, cetera huiuſmodi. Accedit, quòd ſi diſtillata res noua ſoboles eſſet nouuſq; effectus ignis diſtillantis, ſanè ſexcentiès in die effectum ſua cauſſa nobiliorem præſtantioremque, admirante atque ſtupeſcente natura, Spagyrica generaret. Sicut enim tritum in Licæo, & in Academia eſt, vnumquodq; miſtum igne præſtantius ac nobilius eſſe; ita effectum cauſſa nobiliorem, inauditum eſt, minimè conſentaneum ac planè abſurdum.

Neque ignis ex accidente agentis diuerſitatem effectuum ſobolem eſſe dicas: quia quod non per ſe, ſed ex accidente fit, non ſemper fit, ſed aliquando, ex accidente. At varietas hæc nunquam ex diſtillante igne non naſcitur. ergo non ex accidente, ſed per ſe naſcitur. Itaque affirmemus vtique neceſſe eſt,

ignem diſtillantem non corrumpere prius miſtum, non generare poſterius ſed mundius illud reddere, purius, concinnius ſordibus fęcibusq; abſterſis.

Hæc accuratius mihi perpendenti, ignemq; diſtillantem mecum ipſe reputanti miſera videbatur huius conditio: & quaſi ſumma illa maximaque, quæ veluti omnium agentium Rex ceteris longè præſtat, vi & facultate ſpoliatus, a communiq; ablegatus agentium cætu,
Cic. Att. l.9.ep.11 nō ſecus ac Διονύσιος ἐν κορίνθῳ, exſulare videbatur. Etenim vel infirmū effœtumq; agens, ineptam tractans materiam, ſibiq; acriter reſiſtentem, tandem aliquando, ſibi ſimilem gignit effectum, aut non abſimilem inde ſibi concinnat. Quemadmodum enim quæ nulla inter ſe cognatione, analogiaq; naturæ conſociata ſunt, perenni actione mutuò ſeſe afficiūt, & alterum relinquit in altero notam actionis impræſſam:

Ouid. 4. de Ponto.

Gutta cauat lapidem, conſumitur annulus vſu
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.

Ita in ijs, quæ analoga inter ſe pro-

por-

portioneq; reſpondent, commutarique inuicem poſſunt, alterum ſuperatur ab altero, in eiuſq; naturam tranſmutatur. *Vnumquodque enim agens ideo agit, vt paſſum ſibi aſsimilet.* Ignis maximè omnium agendi vi pollens, minimè omniũ finem, agentibus propoſitum, ſi diſtillando produceret e diſtillata re nouum miſtum, aſſequeretur. Nam huic diſtillanti vel ſi aptiſſimam committas materiam (ſulphur) nunquam tamen videas, quod diſtillatum eſt, ignis formam induiſſe. Perſiſtamus quæſo in ſulphure: nam hoc vel obſtinato perſuadebit, diſtillatione non interire vetus miſtum, nouum non exoriri. Occlude ſulphur in vas diſtillatorium, ignis vi committe eo conſilio, vt flores inde colligas, tenuiores nempe & puriores eius partes, vt e ceteris diſtillatione ſolet. Ignis profectò tibicudet non miſtum aliquod a ſulphure diuerſum, ſed ipſummet purius atque concinnius, omni ferè exutum fęce.

Blaterabit fortaſſe quiſpiam peruicax flores ſulphuris non eſſe ſulphur, verum ſulphur. Latentes rerum formæ nonniſi

Digitized by Google

proprijs ſe nobis promunt accedentibus proprijsue effectibus. Sulphur diſtillatũ (hoc eſt ignis vi, Chymicorumq; officinæ concreditum) eodem, quò non ſtillatum, ſapore præditũ eſt, eodemq; colore, virtute planè eadẽ naturaque. Nã ignẽ concipit ardetq; eodem, quo antea, imò faciliori modo: exſiccat, calfacit, ſcabiei medetur & lepræ; formicas, culiceſque arcet, atque interimit; omniaq; ferè præſtat, quæ a non ſtillato (ſublimato veriùs dixerim) præſtari ſolent: ea tantùm ſi excipias, quę a tenuitate prohibentur. nam aquis immerſum multis ſæculis, vt ſolidum, non perſeuerabit integrum. Itaque ſublimatum ſulphur ſulphur eſt numeris omnibus abſolutum: imò magis abſolutum perfectumque. Quòd ſi, aut tanquã fętidi & graueolentis, ſulphuris veritatem odorari graueris, aut *Naſo ſuſpendas adunco*: velim vt Mercurium ſaltem attendas. Coagula, ſublima, præcipita, alio quouis huiuſmodi modo igne tracta hoc minerale, nunquam tamen Mercurium abolebis, numquam eius formã labefacies. Nam ſicuti Mercurius Her-

Horatius.

mes

mes etiãſi varias induat formas & perſonas, muſici, mercatoris, furis, nuncij, lanifici, cytharedi, ſolis, żephiri, aëris, veris &c. ſemper tamen Mercurius eſt, cœli nempe, ac Diei filius. Ita Mercurius Mineralis, cui hac potiſſimum de cauſſa nomen conuenit, & ſi redactus ſit in puluerem, in humorem, in aliam ferè quamlibet formam aut per præcipitationem, vt loquuntur, aut per coagulationem, ſublimationem, &c. ſemper tamen propriam tuetur naturam, inſitamq; a natura formam. nam etiam ex præcipitato, ſublimatoue in priſtinam argenti viui formam redigitur. Patet itaque apertiſſimè, ignem diſtillantem rem diſtillatam non corrumpere.

At verò, his non contentus, adhuc inſtabis, ignem, inquiens, penitus miſtũ deſtructurũ, ſuamq; in illud inditurũ formã, ſi tamdiu agat, quoad ſuas omnes exerat vires. Nos verò præpopere nimis diſtillatam materiam igni ſubripere, nec ſinere, hunc in eam qualitates omnes ac diſpoſitiones inſerere. An hoc artis officium eſt, & ex arte circa chymiam verſari?

ſari? Profectò chymici officium ac finis eſt, vt populariter lòquar, *Diſtillare:* hoc eſt, tamdiu materiam igni concredere, dum eam perfectè elaboret. Quòd ſi ille, in arte quaſi luxurians, vlterius progrediatur, verendum eſt, ne extra huius fines egreſſus licentiùs erret. intra eos verò coërcitus raró corrumpet, raró generabit. idque non niſi cum *calcinare*, *vrere, cineſacere*, vel quid ſimile præſtare ſtudet. Immo verò an tunc verè corrumpat miſtum, aboleatq; miſti formã, apud me ſatis exploratum non eſt. vt enim peruicaciùs id non negarem, ita imprudens & incautus non concederẽ. Mercurius præcipitatus (præcipitatio enim calcinationis ſpecies eſt) cornu cerui vſtũ, & ſimilia negotium maximè faceſſunt. Nam, vt Mauſetus & doctiſſimus Guntherus ait, *vigeſies ille ſublimatus, coagulatus, præcipitatus ac pœnè fixus, iterum recrudeſcit in argentum viuum, cum exigua aut ponderis, aut ſubſtantiæ ſuæ iactura*. Quarè etiamſi res diſtillata varias multiplicesq; alterationes ſubeat, calefactionem, rarefactio-

Epiſt. Medic. lib. 3. Obſer. Chym. li. 1 cap. 13. Sennertus de Nat. Chym.

ctionem, attenuationem, ſolutionem in vaporem, concretionem, &c. nunquam tamen eò labeſit, vt omninò intereat, vim naturamque, ſeu, vt loquuntur, propriam eſſentiam ſubſtantialemq; formã amittat. hæc enim ab ignis diſtillantis iniuria omnino integra, eius actionem illudit. ac proinde incolumis ac ſolida in prima illa rerum materia latet.

Sed hac in re nimius eſſe cogor. non ſolum enim tecum, Roderice, ſed cum vtriuſq; noſtrum docto, bono, ac veteri amico amanter mihi res eſt. Illud itaque aueo, imò geſtio ſcire, quorſum conatus chymici? quò dirigantur cogitationes omnes, ſedulæ ac laborioſæ ſpagyricorũ actiones? Mehercule non aliò, quàm eò, vt formam rerum ſubſtantialem, e qua tanquam e fonte qualitates ac miſti proprietates fluunt, a terreſtrioribus ſubiecti partibus, non ſecus ac a fecibus & purgamentis emundent. Et quinta illa adeò celebris & inculcata Chymicorum eſſentia quid aliud eſt, quàm optimè depuratum miſtum, hoc eſt, miſti forma in materia, a cenoſis vendicata partibus,

niti-

nitidè ſplendideq; inſidens? Siue, vt cum magno Sennerto loquar, quàm ſpiritus ille inſitus humidumq; radicale ſua forma inſtructum? Depurationem anhelant Chymici, non corruptionem. Miſtum ſibi officinæq; concreditum, non labefactum, non corruptum, non forma ſpoliatum; ſed integrum, incolume, ſua forma, ab impuritatibus vindicata præditum; propria vi virtuteq; quaſi ab excrementis non coërcita munitum, promunt nobiſq; exhibent. in quo ſanè forma, natura, vis, ἐντελέχεια elucet multò maximè.

Sed vt propiùs ad ſerum diſtillatum reuertamur, vtq: rarefactionis vim, attenuationis, in vaporem ſolutionis, concretionis, aliarumq; mutationum enucleatiùs examinemus, aquam communem ac vulgarem diſtillari cupio (ſiue purum elementum, ſiue, quod vero ſimilius eſt, miſta ea ſit) atque ſcire, quod nã ſit, quod diſtillatũ eſt, quodq; iam aſcẽdit: an nouum aliquod, an potius idem, quod prius? An aqua ſit, an quippiam aliud? Profectò vtraq; aqua eſt, nec vnquam aqua non fuit, etiam ſi ſexcentas

per-

Digitized by Google

perpeſſa eſſet alterationes, ſexcẽtas mutationes. Sed aqua maris diſtillata aptiùs ſero quadrat. Hanc quis dubitat eſſe aquam? nec ſpecie ab aqua differre? At quemadmodum hæc mare eſt ſine ſale; ita ſtillatum ſerum ſerum erit ſine nitro.

At verò video, te a meis victum argumentis quaſi *Talaria induere*, vt fuga ſalutem petas. Mane, hìc adeſto, & audi, quæ contra collegas tuos nunc promo. Vides, iam in ſecundam me irrepſiſſe argumentationem, eos nimirum oppugnare, qui nitrum ſero tribuentes; illudq; ex hoc diſtillatione ſeparari poſſe autumantes, negant tamen diſtillatum ſerum ſerum eſſe: quippe cum ex duabus hoc ſubſtantijs conſtet, aquea ſaltem ac nitroſa, ſi diſſoluatur per diſtillationem, abeat in elementa parteſque, ex quibus conflatum eſt, aquam, nitrum. Hoc ſuperiùs a me ſcripta labefaciunt, labefaciunt & hæc. Acetum ſtillatum acetum eſt: omnino: guſtatus iudex eſto, aduerſarij guſtatus. Prætereà ſcire vellem, num rhabarbarum, ex hermeticorum officina prodiens, rhabarbarum ſit?

Cic. Att. 14. 23.

Cer-

Certè ſi molem externamq;formam quis ſpectet,rhabarbarum eſſe idiotarum more negabit. abijt enim in ſpeciem externam formamq; diuerſam. At ſi vim virtutemque, omnino rhabarbarum eſſe fatebitur: cum purget bilem, vt antea, imò validiùs faciliuſq; purget, eodem ſapore, odore, virtuteq; præditum. At exuit plurimas ſui partes: exuit, ſed non exuit eſſentiam,naturã,formamque.

Horat. ad Ottau.

Sed iuuenior Parthis mendacior.

pollicitus eram,te præterito, alios meis petere argumentis. Sed *cæcus Mars eſt inita pugna*. quemcumque obuiam oppugnaui.

Hermetica artis antiquitas, An Priſcis Hippocrati,Galeno,Ariſtoteli cognita? quomodò cognita.

CAPVT XVI.

DISPVTAS contra aduerſariũ tuum de Chymicæ artis natali. Iniuria. Nam nullus vnquam medicorum con-

Digitized by Google

contendet, hanc quaſi nuper natam adhuc vagire in incunabilis . Etenim vel quiSpagyricorum ſcholas a limine ſalutarunt, eos de antiquitate huius artis ſeſe iactantes audierunt. Et quidem apud Arabes in vſu Chymiam fuiſſe poſitam, liquet apud Geberum, Raſem, Auicennam, Meſuem, Albiccaſium, Serapionẽ: quorum ſcripta qui non legit, is tantùm ignorat, eos Chymicam tenuiſſe artem. Quinimmo floruit hæc facultas nongentis propè annis ante hos Arabes, Theodoſij Imperatoris ætate, Heliodoro, ſi credimus Cedreno, de Chryſopæia, ſcribente. Et Iulius Firmicus tempore Flauij Conſtantini circa annum Chriſti CCCXX. hermeticæ cultores non paucos fuiſſe memoriæ prodidit. Imò quinquaginta circiter annos ante Conſtantini Imperium Diocletiano Domino apud Aegyptios floruiſſe Chymiam, proditũ eſt a Suida. nam Diocletiani mandato conquiſitos fuiſſe ait Chymicos omnes libros igniq; traditos, nempe vt ne iterum confecto auro rebellarẽt Aegyptij. Quinimo & apud Caium Principem, Dio-

Paullo Diacono in Diocletiano. Oroſio li. 7 cap. 16.

Diocletiano CCCL. annis natu maiorem, perfectæ numeriſq; omnibus abſolutæ Chymiæ prȩſtantiſſimas quaſque eluxiſſe operationes, auctor eſt Plin. Ex auripigmento enim confectum eſſe aurum eo Domino ſcriptum reliquit li. 33. cap. 4. Adhuc antiquiorem, imò longè antiquiſſimam eſſe prodidit hic idem auctor. nam aureum vellus, ad quod repetendum argonautica expeditio facta a Iaſone fuit circa annum mundi CIƆCIƆIƆCC. ante Diocletiani domitionē CIƆIƆXXX. ann. nihil aliud fuiſſe ait, quàm librum, vbi ars conficiendi auri traderetur. Quinimò CCC. propè annos ante hos Heröes Herculem, Orpheũ, Argum, Caſtorem, Pollucem, Iaſonem apud Hebræos claruiſſe Chymiam, atq; adeò mulieribus notam, ſunt qui tradunt. Non ſolùm enim eo tempore Moſem (quem auctorem pleriq; exiſtimant huius artis) excoluiſſe ferunt ſpagyricã; ſed etiam Mariam eius ſororem artis fuiſſe peritiſſimam. Caſaubonus auctor eſt, Pariſijs in Bibliotheca; Regia huius feminæ de Chymia conſcriptum librũ
aſſer-

aſſeruari. Sed hæc Andreas Eudæmon Ioannes videlicet. Maiorem natu, imò natu maximam, &, vt dicitur, *Antiquiorem, quam Chaos & ſaturnalia tempora*, ſunt qui eſſe exiſtiment hanc artem. Non ſolùm enim ad Hermetem (vnde Hermeticæ nomen) Triſmegiſtum, Mercurij nepotem, referunt artis originem; ſed ad ipſum Adamum, humani generis principem & ſeminarium.

Itaque vt hæc nota ſunt etiam ijs, qui primoribus modò labris Hermeticam deguſtarunt: ita apud me centum eſt, omnino rudem priſcis illis temporibus, incultamq; fuiſſe. Nullam artem videas ſtatim natam, ſtatim adultam. nam ſicuti magna vi hominum induſtriaq; naſcuntur artes, ita ſenſim adoleſcunt perenni cultura, ſumma diligentia, ſolertiaque diuturna. Quarè vt veriſimile eſt, notam fuiſſe Chymiam tum Hippocrati, tum Galeno (nam viros πολυγράμματούς ignoraſſe artem ijs ætatibus non obſcuram, vix credi poteſt) ita rudem eo tempore incultamq; fuiſſe, æquè veriſimile eſt. Non enim puto apud eos, vt apud nos

vel in vſu, vel frequenti in vſu poſitam fuiſſe artem diſtillandi aquas, herbas, flores, radices, aes, aurum, argentum, foſſilia omnia, lapides ipſos, ipſum cœlum, ſi cœli fruſtulum ſubripi poſſet (nam *Huc---mortalis progeſſa potentia curæ*)

Claudianus de Sphæra Arcaim.

Etenim apud Galenum ſuboſcurum, etiam ſi Lynceus eſſe, Alchymiæ artis veſtigium aduertes. Locus tamen eſt 1. Simpl. 18. vnde aut artis rudimentum, aut rudimenti deſiderium ſeſe promit, de aceto loquens hæc habet: *Atque ego ſanè non multum abeſt, quin illorum laudem ſententiam, in eamq; promptè accedam: proque hac aſſertione atque opinione pericula omnia ſubeam ſi quam Machinam aut Artem inuenire poſſem, ſicut in lacte, contrariarum partium ſeparationis; ita hic quoque. Nunc autem quod lac non ſit homœomeres & ſimilare, neque vndequaque ſibi idem, clare monſtrat eius coagulatio, excogitata videlicet multis hominibus ratione, qua partes caſeoſæ a ſeroſis ſeparari poſſint. Atque neque tale quid repertum in aceto eſt: neque manifeſto demonſtrare poſſis,*

quod

quod quantum eius eſt tenue atque exacte humidum refrigeret. Quod verò ſecundum fæcis ſubſtantiam in eo defertur, velut in vinis, calefaciat, nam ea ſolùm ratione apertè quis probauerit ex contrarijs ipſum partibus conſiſtere ſicut lac. Obſcurum, fateor, Alchymiæ artis veſtigium: ſed clarius aduertes 9. Simpl. vbi haud obſcuram ſublimationis, quæ nobilis eſt chymica operatio, mentio fit. Cadmiam enim non abſimili modo, quo flores ſulphuris, fieri docet. Etenim ex diſſoluto calcinatoq; cupro aut pyrite ſublimantur quædam partes, non ſecus atq; ex ſulphuratis ollis fieri ſolet, quæ, vbi conſederint, ſenſim concreſcunt, vt ſulphur in flores. Sed paulò poſt docens rationem conficiendi pompholygos ex minutis nempe cadmiæ fragmentis in ignem coniectis exceptiſq; fuliginibus ſeu fauillis ampliſſimo vaſe recipiente, *Camera nimirum incuruata & nuſquā pertuſa*; veræ ſublimationis ſpeciem ob oculos ponit. Apud Hippocratem verò apertiùs, ſi credimus Fabro, ſpagyriæ veſtigium. nam 2. de Diæta de auro po- In Myrothecio Spagyrico.

tabili aliquam videtur ſuſpicionem fa-
cere. *Aurum operantes tundunt, lauant, molli igne liquant, forti autem non conflatur: vbi verò elaborauerunt, ad omnia vtuntur.* Quinimo & Ariſtoteles naturæ oculus artem videtur perſpexiſſe, cum ait: *Ex nonnullis rebus vapor ab igne elicitur.* Neque enim veriſimile eſt, ſummũ philoſophum contritam mulierculis rẽ, lippis notam his verbis deſignaſſe. Sed quid multis opus eſt? Democritus Abderita, Hippocratis Magiſter, Hermeticam ſcriptis illuſtrauit. typis enim excuſſus legitur chymicus Democriti liber a Syneſio & Pelagio non infimi cenſus philoſophis, Commentarijs illuſtratus. Ex quibus omnibus liquet, quàm bellè hallucinati ſint Thomas Eraſtus, & Nicolaus Guibertus, qui cum Gebero Chymiam natam exiſtimant. & Fallopius, qui Mahomectanæ ſectæ eam eſſe coẽuam opinatur. Mizaldus præterea & Biringutius, qui Villanouano acceptã referentes 300. ab hinc ann. aut natã aut adultam profitentur. Sed hæc Chymici viderint. nobis præſtat, *aliã excutere quercũ.*

Ro-

Roderici de Abdita Galeni Mente Diuinatio: An ſtillatum ſerum Humectet ac refrigeret refricatur: Microcoſmi diſtillatio & Macrocoſmi.

CAP. XVII.

MAGNA mihi controuerſia hìc tecum eſt, nec vllo componenda modo, quàm Galeno ab inferis reuocato. Perſcrutaris Galeni mentem; diſputas, quid modò is ageret, ſi nobiſcum degeret; num diſtillaret ſerum, ſi diſtillandi artem calleret. Sanè aliorum animum intimè ſpeculandi, nunquam mihi animus. nam

Nō ſum Augur, abdita ſcire vti queā palā — Euripides in Hippol.

Tu verò longe animoſior fidenter in Galeni mentem peruadis, eiusq; non ſecus ac *Ad Apollinis holmum cubueris*, aut *Vulcanus tibi vaticinatus eſſet*, intima luſtras penetralia. Sed attendamus hanc vaticinationem tuam. Galenus, inquis, — Ariſtophanes. Suida.

nõ diſtillaſſet ſerum purgationis cauſſa, quia diſtillatione ſeiungitur, interitu que ea pars, in qua, vt concedimus, maximè purgandi vis ineſt. Neque, inquis, cauſſa alterationis, quia *Si ad alterandum vel humectatione vel refrigeratione alterare vellet* (Galenus) *ſi humectatione, non erat conueniens ſubſtantiam deſtillatione ſubtilem reddere: quæ citò trãſiret, quippè ad humectandum tempus exigitur.* Galenus itaque ex eò non diſtillaret ſerum humectationis cauſſa, quòd humectatio non citò non continuò, ſed tempore ſumptoq; ſpatio fiat. At ſerum diſtillatũ cum ſubtile ſit ac tenue, ſtatim præterlabitur, ne paululum quidem commoratũ. Probe noui ex Peripatetica ſolidaq; philoſophia, cuilibet actioni phyſicæ nõ ſolùm opus eſſe agentis vi, patientis, vt ita loquar, aptitudine, horumq; accommodata vicinia; ſed etiam congruenti tempore moraque. Nulla enim actio (ſi generationem fortaſſis, aut coagulationem, illuminationemq; excipias.) ſtatim fit, &, vt loquuntur recentiores philoſophi, in inſtanti; ſed omnes tempore, ſum-

ſumptoque ſpatio. Probè etiam noui, ſicuti caloris virtutem agendi validiorem ac velociorem eſſe, ita infirmiorem ſegnioremq; eſſe humiditatis (rem humidam calidamq; intelligo: miſtum, nõ nudam qualitatem, aut qualitatem in miſto, cuius eſt agere). Et quemadmodum illum validiùs citiusq agere, ita fortiùs hanc & diutius reſiſtere. Iam verò (quod omnino animaduertas velim) actionis mora aut tempus non definitur ſolùm ex agentis vi & facultate; ſed etiam ex aptitudine patientis. Quarè licet ignis citius agat, aqua tardius; ille tamen ſerius ferrum calefaciet, hæc citius humectabit pannum. *His poſitis atque approbatis* (neque enim cauillari potes, niſi vnà etiam philoſophiam cauilleris) aduerte animum ad ſtillatum ſerum. Etſi enim tenue hoc ſubtileque eſt, ac proinde facilè præterlabitur: non hinc tamen fit, vt eas non afficiat alteretq; partes, per quas præterfluit: quippè carneæ eæ ſunt, valdeq; aptæ ad actionem ſuſcipiendam. Neque enim tibi fingere, aut potes, aut debes, nictu oculi

ſerum elabi & præterfluere.

Quinimò cum diſtillatum ſerum tenuius ſit, humectabit faciliùs, faciliùs penetrans ſeſeq; inſinuans per omnes ferè partes. Certo tertiùs ſcio, temet adhoc, vt aqua magis humectet, acetum addere, quod eam attenuans & quaſi ſubtiliorem reddens longiùs deducat. Itaque ſerum diſtillatum multò, quàm antea, validius humectabit, multò longiùs ac latiùs.

Sed perpende, ſi lubet, ſiq; tibi eſt otium, ſtillatam lactucæ aquam, quæ veluti impetu quodam ingenito ad caput aduolat. Velim dicas mihi, num hæc ſtomachum humectet, humectet hepar, ventrem, ceterasq́, per quas præterfluit partes? Sanè, vt ingenuus id non diſſimulabis. Itaque *vt nectam vltima primis*, Galenus vſurpaſſet ſerum (cogis me, quod nolebam, diuinare de Galeni mente) humectandi cauſſa.

Videamus modò, num etiam cauſſa frigefaciendi? Et hoc tu negas, cauſamq; negationis affers, quod ſalſedo nō ſeparetur deſtillatione, ſed augeatur potius

aut

aut communicetur: vt patet ex Microcoſmi diſtillatione, quæ non raró e capite fluit ſalſa. Tua eſt argumentatio, tua philoſophia: quæ vt clariùs innoteſcat, tua ipſa verba, & ſi longiuſcula, hìc adſcribam. *Non ne membra noſtra ita fabricauit natura, vt officinam chymicam repræſentent? ita ſanè, calor namque innatus, deſtillationes cohobationes, & omnem ſeparandi artem molitur. Vis ne etiam, vt microcoſmus macrocoſmo, ideſt, mundus iſte paruus mundo magno comparetur? eſto & deſtillationes, quæ fluunt e capite ex vaporibus illuc aſcendentibus comparemus pluuiæ, comparemus etiam alembico: vtrumq; cum bonis actoribus faciemus. Quid inde? nonne deſtillatur multoties materia e capite falſa? maxime, & deſtillatio ſalſa a medicis dicitur. Iam verò hinc edocti euadere poſſumus ſalſedinem non extrahi deſtillatione.* Paſſienus rhetor, ait Seneca, peſſimè exordiebatur, mediocriter narrabat, optimè perorabat. Tu verò optimè exorſus, mediocriter progreſſus, malè concludis. Exiſtimas igitur, (quicquid ſit de

tua

tua ratiocinatione) te omnino probare poſſe, ſtillatum ſerum non deponere in alembico calorem, ſed eum potius adipiſci: ac proinde exhibendum non eſſe ad refrigerandum; quòd diſtillatio e capite fluat ſalſa. Sed hic tu *Roſam cum anemone confers*: nihil diſſimilius afferre poteras. longè alia eſt Microcoſmi diſtillatio a Macrocoſmi. Exploremus vtramq; atque adeò mutuam, ſi quæ eſt, inter has cognationem exploremus: quodque proinde ex ambobus in rem præſentem deriuari poſſit.

Parœmiog.

Quod facit ad catarrhum, Caput rotundum & cauum tanquam cucurbita impoſitum eſt omni corpori: huiuſque more humores trahit e ſtomacho, iecinore, liene, ceteriſq; ſubiectis partibus: vel hæ partes vltro capiti impertiuntur humores vaporeſque. Qui deinde vel ſuomet impetu in ſubiectas partes labũtur (de humoribus dictum volo, vel etiam de vaporibus frigoris vi in humores concretis) vel certè caput ijs laceſſitum eoſdem pellit fugatque. *Non enim moratur in capite quod influit, niſi caput*

Hippocr. lib. de Gland. ex. 5.

ſimul

ſimul ægrotet. Hac ratione ſe habet fluxio, cum συμπαθῶς naſcitur.

Quod verò facit, ad ſalſedinem, hæc fluenti (fluxuræ veriùs dixerim) inſeritur materiæ vel in capite, cum ſcilicet mora tenuiores eius partes a calore abſumuntur: ac propterea craſſiores quodammodò ſalſedinem contrahunt: haud abſimili ratione, qua, vt aiunt nonnulli, maris aqua, vi caloris tenuioribus exhalatis partibus, concipit ſalſuginem: vel certè (quod multos exiſtimare video) eiuſdem moræ occaſione eadem materia aliquam ſubeat aut putredinem, aut ſpeciem imaginemq; putredinis. At quouis modo id fiat, certum eſſe videtur, in capite gigni ſalſedinem: annuente etiam Hippocrate lib. de Locis in Homine 22. *Fluxio non eſt ſalſa, vtpote non de cerebro*.

Iam verò ſi ſalſedo materiæ diſtillanti inſeratur in capite, inter microcoſmi & macrocoſmi diſtillationem nulla cognatio, nullaq; intercedit ſimilitudo. Rem tute diligenter perpende, & iudex eſto. Microcoſmi diſtillatio non in capitello,

tello, vt vocant, quod frigidum eſt, ſed in vaſe, quod feruet calore, ſalſedinem adipiſcitur. Microcoſmi verò omnino è contra, in capite eam contrahit, etiam ſi infernæ partes algeant. Imò fluxio diſtillat ſalſa, etiamſi caput ex infernis partibus, iecinore, ſtomacho, alioue non mutuetur materiam, ſed eam ipſummet ſibi gignat. Qua ratione quantum diſtet microcoſmi diſtillatio à macrocoſmi, perſpicuè videt vel *Cumano ſtolidior, & Aeacidarum genere*. At verò ſi materia diſtillans ſalſedinem contraxerit non in capite, ſed in iecinore, aliaue inferiori parte, altero ex his modis id contigiſſe neceſſe eſt: vel nimio hepatis incendio, vel humoris bilioſi miſtione (ratum ſit, quod vulgò dicunt de bilis permiſtione) ſi bilis ſocietate ſalſa euaſerit diſtillans materia, expiſcare, obſecro te, huius cum alembici diſtillatione cognationem aliquam, aut ſimilitudinem. Etenim vel lippi vident, diſtillantem hanc materiam etiam ſi nunquam aſcendiſſet, deſcendiſſet, diſtillaſſet, tamen ſalſam eſſe. non ergo ex diſtillatione ſalſedo naſcitur. non

Cic. 2. de Diuin.

ergo

ergo vlla intercedit ſimilitudo inter microcoſmi & macrocoſmi diſtillationem. Si verò calidius iecinoris intemperamentum ſalſuginem indat diſtillãti materiæ: nempe tenuiores partes abſumens & exſiccans, cõtra nos tu incaſſum agis. Nam ſicuti hæc diſtillatio ex immodico calore adipiſcitur ſalſedinem (nam temperatus iecinoris calor nunquam ſalſum tibi promet humorem) ita alembici diſtillatio ſalſa fiet, cum perperam, non ex arte materia distillanda igni committitur: cum hic nimius eſt, incongruus, adurens. Præterquam quod enim tunc promiſcuè ſurſum feruntur tenues craſſæq; partes, nulla congrua ſeparatione facta; quę remanent, adurantur, ne dum ſalſæ fiant neceſſe eſt. Secus autem accidit, ſi moderato igni diſtillandam committas: paulatim enim ac blandè ſurſum repunt tenues partes, moderata ignis vi affectę, ſubſidentibus craſſioribus nulla ignis vi aduſtis, aut ſalitis. Tu itaque ex arte, nõ perperam elaborata alembici diſtillatione nobiſcum pugnare debes: ſiue microcoſmi diſtillationis ſimilitudine macrocoſmi

coſmi diſtillationem, non perperam, non prępoſtere factam, ſed ex arte, ſciteque a tuiq; ſimillimis elaboratam, ſalſam eſſe probare debes. Proba, ſi potes, materiam congruenti moderatoq; igni commiſſam a perito artifice ſalſam euadere Sanè vt e moderato iecinoris calore, ita e congruenti calore alembici ſalſam nunquam elicies diſtillationem.

Iam verò niſi hæc piguit attendiſſe, illud prætereà intellexiſti, quàm inane ſit alterum tuum argumentum, e ſudore accerſitum. *Aliud, inquis, tibi exemplum proferam, ſudor fit etiam ex vaporibus concretis, & ſudor vt plurimum nitroſum habet ſaporem.* Ab inferis excitare videris Empedoclem, qui tantum tribuit ſudori ſalſo, vt, ideò mare ſalſum eſſe, dixerit, quòd terræ ſudor eſſet. Sed hæc opinio, quippè figmentis Poëtarum affinis, abeat a Lyceo, exulet ab Academia. Illud autem monuerim: ſicuti ſudor, vel te ipſo confitente, non ſemper nitroſus eſt; ita ſtillatum ſerum non ſemper nitroſum, nitro a diſtillatione accepto. Et quemadmodum ſudor tunc maximè nitro-

tro-

troſus eſt, cum partes, vnde primò manat calore feruent; ita ſerum tunc nitroſum, cum vas, vnde ſurſum euolat, immoderato igne æſtuat: hoc eſt, cum diſtillandi ars ab rudi ignaroq; Chymico malè accipitur. Sed de his dictum eſt ſatis. Ad tertium tuum argumentum accedamus. in quo ſanè mihi videris Icari caſum renouare. nam ab igne deſcendis in aquam maiori certè Icari ſaltu. Nauigas oceanum, ſed minùs tutò, imò periculosè. nam, reflantibus philoſophiæ auſtris, periculum non mediocre eſt, ne ad ſcopulos alliſa doctrinæ tuæ naui, eius non mediocre facias naufragium. Sed ſpectemus hanc nauigationem tuam, quò curſum dirigat, quem portũ teneat. *Tandem, inquis, aquam maris non vtiq; ſimplici deſtillatione dulcem efficies.* Ex quibus concludis ſerum diſtillatione nõ reddi mundius puriuſq; non calidas, non ſalſas aut nitroſas partes exuere. Luſitanus es, hoc eſt, rei nauticæ peritiſſimus: eſſe profectò deberes, ſi Luſitanus. Qui longa minimèq; portuoſa nauigatione ſuſcepta haud raró aquæ dulcis caritate labo-

laborant, quædam habent vaſa, e neſcio qua terra ligno ve conſtructa, quæ vacua obturataq; in mare demiſſa breui implentur: permeantibus nimirum in vas per cęcos meatus tenuioribus aquę partibus, craſſioribus ingreſſu prohibitis. Hoc, quod noſtri temporis nautæ aut terreo aut ligneo vaſe præſtant, e cera confecto præſtabat Ariſtoteles. Quæ per hæc vaſa permeat, aqua dulcis omnino eſt palatoq: ſuauis. Quinimo eadẽ *maris aqua decocta atque refrigerata vſui eſt ad potandum: quia terreum partim ſubſidet, partim attenuatur.* Accedit quòd *E lana lateribus appenſa nauigiorum dulcis humor exprimitur*; *Et mare argilla percolatum amittit ſalſuginem.* Sed hac in re conſulendus eſt medicinæ & philoſophiæ Dictator perpetuus. Lib. de Aëre Aqu. & Locis 17 hæc habet, *Aquæ pluuiales leuiſsimæ ſunt ac dulciſſimæ tenuiſsimæ ac ſplendidiſsimæ. Primum enim quod tenuiſsimum eſt & leuiſsimum in aqua, ſol educit & ſurſum rapit. Clarum autem hoc ipſum mare facit; quod enim ſalſum eſt, iſtic relinquitur:*

4. Metheor. Ariſt 23 Quæſt. ſeſt. Scalig. de Subt. Scalig. ibid. 50

tur:

tur: quod verò tenue eſt, ſol ſurſum rapit. Hæc omnia ſi attendas, omnino & ingenuè fateberis, diſtillandam maris aquā *ſimplici diſtillatione* omnino dulcem evaſuram. At quid multis opus eſt? Res ipſa loquitur, ipſa experientia. Diſtillata maris aqua *ſimplici diſtillatione* dulcis, hoc eſt, ſale depoſito, palato ſuavis evaſit. Rem narro non *In Aphannis*, ſed in celebri pharmacopœa Chymica apud Monachos Ciſtercien. S. Pudentianæ per me ipſum, & nobilem Chymicum, pharmacopœæ præfectum elaboratam. imò & per accuratum ac celebrem Spagyricum Tobiam Aldinum. Stephanus

Iam verò, Stephane Roderice, planè animaduerto, me quaſi nouum conſtruxiſſe πεντάπλοον. Sanè vellem potius φιλοτίσιον: quo bibito præteriti noſtri diſſidij aboleatur memoria, reconciliataque gratia ἀλκυονίδας ducamus dies.

Hæc habui, Triumuiri Sapientiſſimi, quæ Stephano Roderico Caſtrenſi curſim obiecta, volanti ad Vos, ne dum currenti calamo ex S. C. ſcriberem. Vos, quibus tanquam Aeſculapio ſatis com-

miſſa noſtræ Reipub. ſalus creditaque eſt, vt hæc ad communem vtilitatem commodumq; referetis; ita peruelim, vt, ſi quando vrbaniuſcule luſi, aut caſtigaui liberiùs, in deteriorem id nunquam accipiatis partem. Non enim eò me glorię cupiditas adegit, vt alieni nominis ruina ad amplitudinem ſplendoremque mihi viam ſternerem. Valete Romæ Cal, Octob.

Ab Immodeſta Vindicatio.

NVNQVAM putaui, tam modicos eſſe & anguſtos modèſtiæ fines. paululum eos patere latiùs, & exiſtimaui ſemper, & exiſtimationis ſpecimen, cum ſeſe mihi obtulit occaſio, liberè dedi. Itaque, ſi quando hac in re peccare viſus ſum, *ſic habeto, non tam impudenti mibi id adſcribendum, quam quid faſtidioſis decere videatur, penitus ignoranti.* Quinimo & illud eximit me ab omni culpa, exemplo id feciſſe: exemplo, inquam, eorum omnium, qui huius gene-

ris

ris ſcriptionem aggreſſi ſunt, Scaligeri, Robortelli, Libauij, Aleandri, Rodij Caſſani, Petauij, Augenij, Fuchſij, Clauij Triuerij, Salmaſij, Riolani: immo religioſiſſimorum hominum ac modeſtiſſimorũ Ieſuitarum: quos aduerſus Peſcetium Veronenſem ſcribentes, ſi omnino exiguè & exiliter ad pudoris calculos reuoces, exuiſſe diceres moderationem modeſtiamq; omnem. Nihil dicam de Sigonio, qui me iunior Robortellem ſenem tam malè accipere videtur, vt non ſine admiratione iſti faſtidioſi *Emendationum Librum* legere poſſent. Nihil de Santorello Neapolitanæ Academiæ clariſſimo lumine, e cuius libro contra Sanctacruc. ſi demas aquuleos & querelas, ſchedula, non volumen erit. Prætereo Neoterium illum Tranſalpinum, ἀνώνυμον qui ex ipſe iuuenis aduerſus quemdam ſenem medicum ſcribens, ita librum inſcripſit *Deliramenta Emophobi*. Si inſcriptio ipſa, quæ, vt *Domus Cæſaris non ſolùm crimine, ſed ſuſpicione criminis vacare debet*, contumelioſa eſt, quid de ſcriptura exiſtimandum? Miſſum facio Sueton.

Libauium, qui rudem, craſſum, ignarum, ineptum, amentem, delirum, maniacum appellat doctiſſimum Riolanum. Prætermitto Scaligerum, qui Cardanum audacem vocat, turbidum, lutulentum, inſciũ, ridiculum, inconſtantem, ineptum, confuſum, barbarum, ſtultum. Eiuſdem doctrinam monſtruoſam, vacillantem, ignauam, inanem, abſurdam, impiam, falſam, rudem, confuſam, peſſimam. Vnus Eudemon Ioannes, vir Ieſuita, hoc eſt, multiplici ſcientia, vitæ integritate, optimis moribus, omni denique virtutum genere exornatus aduerſus Caſaubonum ſcribens, ſectarium & hæreticum hominem, ſui temporis doctiſſimum, exiſtimatione apud litteratos, auctoritate apud ſectarios, gratia apud Reges maximè pollentem; mihi ſit inſtar omniũ. Sanè, Lector, ſi eius *Refutationem* percurrens faſtidioſos iſtos conſulas, perpetuo hanc mulctabis exſilio. Si verò eos, *quibus ſanum eſt ſinciput*

Plautus In Menechm. 2.3.ſ.2.

Nec--ignorant, quid diſtent æra lupinis.

Horatius.

modeſtiæ cancellis circumſcriptam exiſtimabis. Illud tamen Lectorem moneo, hæc

hęc non eò ſpectare, vt ſuo exemplo meam ſcriptionem purgent. Nam in meo Commentario nullas vnquam iniurias, nullas planè contumelias, aut obtrectationes reperies: ſed aliquos tantùm iocos & facetias, imò potiùs imagines eorum & vmbras. quæ non ſolùm genus hoc ſcriptionis fert, patitur, atque ſinit, ſed neceſſariò etiam requirit. Neque enim exiſtimãdum eſt (quod rude vulgus medicorum ineptè putat) vnumquodque ſcribendi genus laudationes deſiderare ac præconia: quia ſicuti, quoad ſtylum attinet, diuerſo modo hiſtoria ſcribitur, atque dialogus, diuerſo epiſtola, atque oratio: ita apologetica, criticaue ſcriptio diuersè texenda eſt, atque alia ſcriptionum genera. Et quemadmodum ſatyra ſtylum requirit liberum atque ſolutum, vitia reprehendentem, carpentem mores, in maledicta interdùm, & ferè in obtrectationes pronum: ita etiam apologia, aliaque iocos amant, vrbanitates ac facetias: quibus nempè aduerſarij lepidè concinneque refellatur opinio, propria comprobetur,

inſeraturq; faciliùs in lectoris animum. Et ſanè hac ratione, illud præterea facilè conſequi poſſumus, vt ſcriptura magis magiſque nitens ac ſplendens ex illiterato inſulſoque ſtilo magnificè ſeſe attollat. nam, vt magnus ille Scaliger dicere ſolebat, *Quemadmodum conuicium mucro verborum eſt, ita iocus ſplendor ferri orationis.*

Iul. Cæſ. dictũ extãt in Refutatione Fabulæ Burdonum.

At verò nunc demum intelligo, quid obſtrepant iſti ſeueriores Ariſtarchi. non ſcriptionem vituperant, quæ, modeſtiæ finibus concluſa, omni vacat reprehenſione: ſed ſcriptorem accuſant, ac mordent, quòd adhuc iuuenis ſenem reprehenderim. Plutarchus hac in re mihi adeſt patronus. *In ſola ſparta*, inquit in Laconicis, *expedit ſeneſcere*. nam, vt Lyſander apud Ciceronem ait, *Lacedæmone ſolùm eſt honeſtiſſimum ſenectutis domicilium.* Apud nos verò ſenilis ætas ſicuti non accipitur vt hoſpes & aduena, ita non colitur vt numen. ſicut enim minimè ſpernendam ducimus, ita minimè colendam tanquam numen aliquod ſacroſanctum. Quinimo hac in re tales habemus,

In Catone Maiore.

quos

quos imitari poſſimus, quales perſanctè potius venerari, quàm aliquo pacto repræhendere debeamus. Romani, quos ciuili diſciplina, morum vitæq; integritate, atque adeò præclarè honeſtèque factis ſuſpicimus atque admiramur, eò ſedulò incubuere omnes, vt adoleſcentes accuſando viros ætate progreſſos, genere nobiles, honoribuſq; functos ad gloriam ſibi aditum aperirent. Sic enim Q. Curtius C. Memmium conſulatum petentem de Ambitu poſtulauit; ſic M. Cicero C. Verrem Siciliæ Proprætorem de Repetundis; ſic M. Cœlius C. Antonium conſulatu ac genere nobilem de Maieſtate; ſic L. Craſſus C. Papirium Carbonem, Cn. Carbonis. III. conſulis fratrem de Perduelione; ſic *M. Cotta eo ipſo die quo togam ſumpſit virilem* (anno ætatis XVII.) *C. Carbonem poſtulauit, protractumq; reũ iudicio afflixit, Et ingenium & adoleſcentiam præclaro opere auſpicatus.* Val. Max. lib. 5. c. 4. num. 4.

Ceterum cum hæc ſcriberem, imò iam *manum de tabula* in mentem mihi venit Cic. epiſt. fam. lib. 7 epiſt. 25.

venit ipſum Rodericum Caſtrenſem *de Modeſtia* iudicem conſtituere. Adſit igitur ſedeatq; iudex ſuamq; dicat de modeſtia ſententiam, verbo & ſcripto eam atteſtetur. Lib. 3. Meth. Mic. cap. 9. Montanum appellat *peruicacem*, [a] Capiuaccium *caput vaccinam habere* ait *iuxta nominis æthimologiã* [b] Claudinum *Galeni verba non intelligentem turpiter ea interpretari.* [c] Fernelium *omnino irridendum.* [d] Valleſium *nimis peruicacem.* [e] Iouberti Pontijq; verba *non ſine riſu excipi poſſe.* [f] Licetum (quem virum Dij boni? ſæculi noſtri ornamentum & decus) inſaniæ maculam aſpergit noua quadam & in Latio peregrina loquutione, *Inſanire libuit hunc hominem.* [g] Ariſtotelis *comparationem indignam eſſe* ait, *quæ inter viros philoſophos verſetur.* [h] Galeni *contentionem peruicaciam ſapere* ſcribit. Quid? omnes conuicijs excipit, ignominia notat, contumelia vexat. Itaque

Si Rodericus, dictum in ſe inclementiùs
Exiſtimauit eſſe, ſic exiſtimet
Reſponſum non dictũ eſſe, quia læſit prior.

a li. 2. c. 5.
b li. 4 c. 2
c li. 2. c. 8.
d li. 2. c. 15
e De Aſit. tia.
f De Aſitia 12.
g Meth. li. 2. c. 10.
h lib. 1, c. 17.
Terentius in Prologo Eunuchi.

T Y.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

OPerariorum incuria ac negligentia nonnulla irrepſerunt errata: quæ cum per te, Candide Lector, & animaduerti, & corrigi facilè poſſint, hic notare viſum non eſt: præſertim cum mihi, cui ab auctore, occupationibus diſtencto, libellus commendatus eſt, atque concreditus, in ijs notandis accuratiùs verſari per occupationes non liceat. Tu itaque menda candidè corrige, cetera fuere. Vale Idib. Ianuar, 1635.

1. 2. 8. 6. 10. 11. 3. 4. 7. 9. 5.
P E R S I I. T R E V I

Numeros ordine ſequutus auctoris nomen aſſequeris.

Imprimatur, ſi videbitur Reu.mo P.M.S.P.A.
A. *Torniellus Viceſg.*

Imprimatur. Fr. Antoninus Cellius Mag. & Soc. Reuerendiſs. P.F. Nicolai Riccardij Sacri Palatij Apoſt. Magiſtri, Ord. Præd.

I N.

INDEX AVCTORVM.

ALBVCASIS.
Aleander
Ariſtophanes.
Ariſtophanis Interpres.
Ariſtoteles.
Augenius.
Auicenna.
Capiuaccius.
Biringutius.
Caſſanus.
Caſaubonus.
Celſus.
Cicero.
Claudianus.
Claudinus.
Clauius.
Coſtæus.
Donatus.
Dioſcorides.
Eraſtus.
Euripides.
Eodemon Ioan.
Faber.
Falloppius.
Franciſcus de Verulano.
Fuchſius.
Galenus.
Geber.
Guibertus.
Guntherus.
Heliodorus.
Hippocrates.
D. Hieronymus.
Homerus.
Horatius,
Iſocrates.
Libauius.
Licetus.
Liuius.
Manardus.
Martialis.
Mauſetus.
Mizaldus.
Montanus.
Ouidius.
Oroſius.
Paullus Diaconus.
Paullus Manut.
Parœmiographus.
Plautus.
Peſcettius,
Petauius.
Plutarchus.
Pontius.
Quercetanus.
Q. Curtius.
Riolanus.
Rodius.
Robortellus.
Salmaſius.
Santorellus.
Scaliger Senior.
Scaliger Iunior.
Scholiographus in Demoſt.
Seneca.
Sennertus.
Serapion.
Silius Ital.
Sigonius.
Simmachus.
Stephanus Athen.
Suida.
Teognis.
Terentius.
Triuerius.
Valerius Max.
Valleſius.
Villanouanus.
Zenodotus.

INDEX.

A

ACIDITAS ſoboles eſt mediocris tum frigoris tum caloris. pag. 11 Naſcitur a calido immutante, ſed nō vincente, pag. 12

Aceſcendi facilitas non indicat ſeri frigiditatem. 10

Aceſcunt etiam calida. 10

Acidæ rei conditio. 11. Acidū quodcumq; frigidū eſt. 13. Ad aceſcēdum quodcumq; aptum, non eſt frigidum. 13.

Acetum ex etherogeneis partibus cōſtat calidis frigidiſque. 23. Stillatum vel ſimplex vino frigidius ac tenuius. 20. Eius partium cū vini oleiq; partibus comparatio. &c. 21

Aether ignifer Ciceronis. 19. Tenuis & frigidus. 19

Aethiopem ex vultu iudicare. 17

Agentis conditio, & in agendo ratio & via 115. Non poteſt generare nouum, niſi corrumpat vetus miſtum, niſi aboleat huius qualitates 115. Quæ requirat in agendo. 134

Alba & frigida & calida ſunt. 28

Alimenta cum quibus medicamentis vtiliter miſceri poſſint. 66

Anaxagoras ſenſuum iudiciū negabat. 113

ad Apollinis holmum cubare. 133

Aqua oleo vinoq; tenuior 20

Aquam e pumice poſtulare. 51

Aqua maris ſtillata eſt dulcis 144. eſt vere aqua. 125

Argentum viuum præcipitatum & ſublimatum non amittit ſubſtantialem formam. 121. Redigitur facile in priſtinam naturam. ibid.

Ariſtoteles Iſocrati æmulo infenſè aduerſatus eſt. 103

Aureum vellus quid. 128

Aurem peruellere. 26

Aurum ex auripigmento confectum Caio Principe. 128

B

BVtyrum an impertiatur ſero purgandi facultatē. 36. Eam compeſcit vnguine ſuo. Retundit ſeri acrimoniam 38. 61. Butyri emplaſtica vis eſt. 39. Quomodo purget. 53. Non niſi largius ſumptum aluum ſoluit. 56. Butyro aeri conſono ignea lactis pars ineſt. 91

Bonum & malum relatiue in medicina. 67

Calida

C

Calida in ſummo gradu, non tenuia. 21
Calcinatio an deſtruat forma rei calcinatæ. 122
Camelinum lac valde ſeroſũ. 96. ſeroſius ouillo, bubulo, bubalino, caprillo. &c. 14. calidũ eſt. 14. 96. ſalſam eſt. 14
Caſeus recens cum melle aluum mouet, 40. Sine melle adſtringit. 42. Antiquo flatuoſior minus aluum adſtringit. 42. Butyro non purgat. 40
Caſeũ an ſit quod in fundo vaſis deſtillatorij ſubſidet. 24
Chymia an corrumpat miſtũ deſtillandum ſibi concreditum 114. vſque ad 126. Eius officium ac finis in deſtillando. 121. 123. &c. Nobilitas & antiquitas. 126. Arabibus cognita 127. Theodoſij Imperat. ætate nota ibid. Tempore Conſtantini. Diocletiano Domino in Aegypto conquiſiti de Chymia libri concremati ſunt. ibid. Caio Principe confecit aurum. 128. Heroum tempore floruit, Moſis tempore. ibid. Hippocrati, Galeno, Ariſtoteli, Democrito cognitã. 130
Cicuta homini ſummè frigida Sturno non ita. 26. 34
Cibus vt cibus indicatur a viribus: vt calidus aut frigidus indicatur a morbo. 63
Clipeum poſt vulnera ſumere. 59
Curator viæ Appiæ quid agetur in cęlo ſub mortem Claudij Cæſaris euulgauit. Annæo Senecæ. 107
Color num facultatem medicamenti indicet. 28
Comitialis morbus; eius cauſa & modus generandi. 73
Congelatio indicat facultatem medicamenti. 30
Contradictio in Roderici verbis. 56
Coſtæus defenſus 26. Eius ſententia de ſeri qualitatibus. ibid.
Cumano ſtolidior. 114

D

Diſtillatio an Hippocrati Ariſtoteli, Galeno cognita. 126. 131. An corrumpat miſtum deſtillatum, An nouum generet 114. ad 126
Democriti Abderitæ de Chymia liber a Sineſio & Pelagio Cõment. illuſtratus. 32
Diocletiani mandato cremati fuerunt in Aegypto omnes de Chymia libri. 127

E

Effectum cauſa nobiliorẽ eſſe abſurdum eſt. 117
Elephantiaſis ſero curatur. 63
Empedoclea ſimultas. 52
Empyreuma quid. 104. Vnde naſcatur. ibid.
Empedoclis ſententia de ſalſedine maris. 124

Expreſ-

Digitized by Google

Expreſſio quomodo fiat. 109. vbi multa.

F

FAcultates medicamentorũ vnde ſumantur. 27
Febris ardẽtis curãdæ ratio72
Fluxio non eſt ſalſa vtpote non de cerebro. 139
Formæ ſubſtantiales latent: non niſi proprijs accidentibus manifeſtantur 119. In diſtillatione non corrumpuntur. 123
Frigidum an ſit tenue. 18

G

GAlenus explicatus. 25. 33 54. 63. 95. 133.
Generatio, coagulatio, illuminatio fit in inſtanti. 134
Gladius delphicus. 16
Graciles a cibo vomant. 67
Guntheri teſtimonium de Mercurio præcipitato. 122

H

HEcticæ lac aſininum vtile non propter ſerum. Cur. 97. 99. 100
Hippocrati an nota fuerit Chymica. 126. 129
Hippocrates illuſtratus. 66
Hiſpania non eſt ferax ſeri. 15
Hermionis vice. 37

I

IGnis ſi generat ignem generat. 117
Ignis diſtillans non corrumpit diſtillatum. 114
Iſocrates Ariſtotelis æmulus. 103

L

LAc camelinum maxime ſeroſum. calidũ. Salsũ. 14
Aſininum cur in ſtomacho non cogatur. 47. Cur per aluum magis deijciat ibid. cur a Galeno comendatur in hectica. 97 Non eſt frigidius quia ſeroſius. 97. ſeroſius eſt, quia frigidius. ibid. Lac a quo facultatem accipiat deijciendi 47. Non a ſeroſo tantum humore, ſed etiam ab huius acrimonia. 48. Lac propter ſerum purgare ait Hippocrates. 74. Lac ad triplicẽ vſum apud veteres, nu riendum, alterandum, purgandum. ſerum verò ad ſolã purgationẽ. 65 Lactis ſumẽdi modus apud Hippocratem. 66 Lac ſero, ſerum lacti ab Hippocrate ſubſtituitur. 74 Lactis partes quatuor, quatuor elemẽtis reſpondentes. 89 In eryſipilate pulmonis exhibetur. In acidis rũctibus In torminibus ac murmure ventris. 102 Facilius aceſcit calido quã frigido aere. 108
Lari & Cepphi ſimilis. 113
Lenitas indicat medicamenti facultatem. 30
Libauij locus expẽſus. A Roderico bõ intellectus. 88. 90
Luſcinia deplumata vox eſt, præterea nihil. 35

M

Macedones non auro ſed fer-ro fulgentes. 5
Maris aqua pluribus modis dulcis fieri poteſt. 141
Maris aqua an ſimplici diſtillatione dulceſcat. 144
Marcus Caltritius ſenectute fretus Cn. Carbonis minas ſpreuit. 35
Maria Moſis ſoror chymica arte calluit. 128. Eiusq; liber de Chymia conſcriptus Pariſijs aſſeruatur in Biblioth. Regia. 128
Medicamentorum qualitates quomodo inueſtigandæ & vnde noſcendæ. 15. 33. Medicamenti qualitas ſecundum ſe extimanda prius, deinde ad hominem referenda. 33. Medicamenti naturam perſcrutari debet medicus vt philoſophus. 33. Leuia medicamēta quæ antiquis vſurpata. 101. Medicamentum vbi corpus intrauerit primo ducit ſibi familiarem humorem, deinde alia trahit. 175
Medicus artifex craſſiuſculis. 32
Mel aluū ſubducit. 41. Mellitus caſeus aluū mouet. ibid
Mel. roſ. & ſir. roſ. an e ſolo ventre humores ducat. 69
Menippus Luciano Deorum ſecreta palam fecit. 197
Mercurius etiam calcinatus propriam formam non amittit, in priſtinam argenti formam redigitur ex præcipitato & ſublimato. 120
Mercurij Hermetis variæ formæ ac perſonæ. 121
Meſues explicatus. 57. 60. 61.
Metelli tabulæ. 82
Microcoſmi & Macrocoſmi diſtillationis cōparatio. 138
Miſtum miſto contrarium nō ſolum ſecundum formam, ſed etiam ſecundum qualitates. 116. Miſtum quodlibet elemento nobilius. 117
Moſes Chymicus. 128

N

Nitrum calidum an frigidum. 22. Ex etherogeneis partibus conſtat. 22
Nucerina aqua in Vmbria per aluum & vrinam purgat armeno bolo aut terra lemnia prædita. 87
Nudior paxillo. 82
Nympheæ flores frigidi craſſi & odorati. 29

O

Odor quid? 29. A frigidis & calidis expirat. Semper caloris eſt ſoboles. ibi. Non ſemper ex tenui ſubſtantia exhalat. 30. Num indicet medicamenti qualitatem. 28
Omiſſa hyperapedē inſequi 60

P

Papaueris ſuccus cur non aceat nec aceſcat. 12

Digitized by Google

Paſſienus rethor. 137

Perſarum lex de reis. 5

Plumbeum gladium ex eburnea vagina exerere. 66

Priſſana facilius aceſcit calido quam frigido aere. 107

Q

QValitates medicamentorum, vide medicamentorum qualitates,

Quercetani locus a Roderico perperã accerſitus. 93

Qualitatum migratio de miſto in miſtum negatur. 116. Dirutis qualitatibus miſti forma corruit. ibid.

Quinta eſſentia quid. 123

Quotidiana febris apud Hippocrat. eſt tertiana duplex Galeni. 103

R

REprehenſionem moleſte ferentes in magno erant opbro apud Lacedemones 25

ad Reprehendendum procliuiores quam ad laudandum omnes ferè ſumus. 25

Roſã cũ anemone cõferre. 138

Romanus miles ad palum fictum hoſtem ſeſe exercens a Demonacte irriſus. 25

Romanæ aquæ acidulæ per vrinam & alium purgãt. 87

Rhu ſiccus aluum adſtringit: cum melle mouet. 41

S

SAl non adimit lacti purgandi facultatem: 43

Salſamenta pleraque aluum mouet. 44

Sal tartari, vini, aceti qualitas. 78

Sapor tum primarum tum ſecundarum qualitatum index. 27

Sennerti ſententia de medicamentorum qualitatis inueniendæ ratione reijcitur. 32 Eiuſdem laus.

Serum eſſe frigidum quomodo probetur ab auctore. 15 Rationes, quæ ſeri frigiditatem probant apud Manardum refelluntur. 13. Noua Roderici refellitur. 10. Serum ex frigido humidoque elicitur alimento. 15 In Hiſpania parum emungitur ex animalibus. 15. Calidis medetur morbis nõ ex accidẽte ſolum, ſed per per ſe. 15. Antequam aceſcat eſſe frigidum colligi an poſſit ex facilitate, ad aceſcendũ 13. Cur aceſcat. 12. An frigidum ſicut lac. 16 Acres habet qualitates. 16. 37 Craſſiores eius partes ſalſæ. 21 Eius qualitates ex Coſtæo 25. Vnde ſumat purgandi facultatem. 35. Facilius purgat abſque butyro. 37 Calidius eſt butyro ex Galeno. 46. Qua ratione ac vi purget. 46. Nitroſa ſua ſubſtantia purgat. 48 Diligentiſſime a butyro ſepara-

tum

Digitized by Google

tum purgat.ibid.Efficacius butyro ad purgandum. 50. Probatur eſſe catharticum 69 ad 75. Ad ſolam purgationem ab Hippocrite vſurpatum. Sicuti lac ad alterationem. purgationem, nutritionem. 65. An ſereno aere exprimat tenuiores partes. 107. Facilius aceſcit calido quam frigido aere. ibid. Potatum an nitroſius euadbt. 106. An ad alterandum a veteribus vſurpatū. 59. In fluxu muliebri, Vteri conuulſione, In capite repleto & vlceribus impleto. In feb. quotidiana. In morbo liuido, nigro, pituitoſo, regio, ſiccatorio In reſiccatione medullæ ſpinalis. In morbo craſſo, renali, articulari, In vlceribus, In vteris inflammatis 64. In comitiali, ſemiſiderato. Feb. ardenti. 73. Pulmonis eryſipelati. 71

Serum natura ſplencio conuenit, morbo ſplenico non cōpetit, 70. Serū in inflāmatione cur conueniat. 71 a. In hectica. 95. An in alijs febribus. 101. In duplici tertiana exhibetur ab Hippocrate. In omni putrida a Meſue cur. 103. Serum nitroſum ex Meſue. ſalluginoſum ex Galeno aphronitro. ſum ex Auicena 79. In hectica nō propter humorē, ſed propter frigiditatē vtile. 96

Serum diſtillatum an ſit vere ſerum. 112. 114. An acquirat empyreuma, 104. An validius refrigeret. 87. 94. 133. 136. An purget. 87. Eius ſubſidentia an ſit nitrum, an potius caſeus vſtus. 80. Partes aſcendentes an calidæ an frigidæ. 84. 113. An vſurpatum fuiſſet a Galeno, ſi ei fuiſſet nota chymia. 134

Speuſippus Platonicæ philoſophiæ quaſi hæres inſtitutus fuit. 49

Sudor quando nitroſus. 142

de Sulphure eiusq; flor. multa. 119

T

Tenue imo tenuiſſimum frigidum eſſe poteſt. 18

Timon Nicæus fidem ſenſibus abrogauit. 94

ex Tripode dictum. 114

V

Vellus aureū Iaſonis quid 128

Violæ quomodo purgent. 50

Vinum facilius aceſcit calido quam frigido aere. 110

X

Xenocratis teſtimoniū. 82

Z

Zeno pro arbitrio rebus nomina imponebat. 18

Zetus Pacuuianus philoſophię prope bellū indixit. 49

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google